SPECIMEN ANTINOMIARUM MEVIANARUM:

EX

Deciſionibus Viſmarienſibus ad Lydium lapidem revocatarum

CUM ADJECTA CRISI

Exhibitum

AB

OTTONE PHILIPPO ZAUNSCHLIFFERO,

JCto, Anteceſſore Juris, & Syndico Univ. Marburg.

Acceſſit

DISCURSUS EJUS NOVUS

DE

JURE STIPENDIORUM AD STUDIA.

nunc vide, fulicalis Voluminis num: 41.

NEC NON

VINDICIÆ PROVERBII,

Kauff gehet vor Miethe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUBECÆ & FRANCOFURTI,
Sumptibus SAMUELIS OTTONIS & JOH. Wiedemeyern/
ANNO M DC LXXXVIII.

15.

45

Præfatio ad Lectorem.

LECTOR AMICE ET PATRONE!

ASteriſco digna ſunt Celſi Junioris verba, quando in *l. 91. §. 3. ff. de verb. oblig.* monet, *in quæſtione de bono & æquo plerumque ſub auctoritate juris ſcientiæ perniciosè errari.* Senſit nimirum, Oedipo Wiſſenbachio ad *l. 90. ff. de reg. jur. th. 3.* non deeſſe aut in poſterum defuturos naſutulos & & ſciolos, qui ingenii ambitione excitati, doctrinâ verò, ſolidæ ſcilicet Jurisprudentiæ, caſſi, ficta & cerebrina æquitate, æquum quid eſſe judicabunt cornicum oculos configendo, quod maximè eſt iniquum. Sanè, ut Celſus ille, teſtantibus tot legibus, edecumatus fuit *non juris ſolùm ſed & Juſtitiæ conſultus*, quod in Servio Sulpitio laudat Cicero *Phil. IX.* ſic &, ſi ullibi, certè hîc vates fuit, & ex ipſo quaſi

tripode eſt locutus. Ut enim omni tempore, ſic maximè noſtrâ tempeſtate res in eum ſtatum cum jure Romano videtur deducta, ut *non juris civilis rationem cum æquitate conjungamus*, exemplo Caji illius Aquilii, Cicerone *in Orat. pro Cæcin.* memorante, non duros legum nodos & ænigmata ſolvere, aut leges dextrè ad factum penſiculatum applicare ſatagamus, in quo tamen genuinum JCti munus conſiſtit, etſi lex aliquam iniquitatis ſpeciem præ ſe ferat: eleganter demonſtrante Mevio. *p. 7. dec. 314. tota*: ſed in ſcirpo nodum aut quæramus aut faciamus, leges calumniemur aut cavillemur, denique, non juxta leges, ſed, quod jam olim Auguſtino diſplicuit. *cap. 3. diſt. 4.* de legibus, quarum certa etiam eſt ſententia, tam diu diſputemus, *usque dum multa eaque clariſſima, ſubvertantur, atq; æquitatis ſpecie vis auctoritasque legum*, uno quaſi actu & ictu eludatur *l. 21. ff. de legib.* adeò, ut, quod olim de Republ. Romana dixit Seneca, id nos de legibus Romanis rectè dicamus, *parvo ſe & humili loco multi putant ſtare, qui non ſupra eas ſteterint.* Profectò, ſic eſt, jus quod vocant, morale, ex jure Romano maximam partem ita videtur natum, ut vipera à matre, ſi Plinio credimus, naſcitur, *videlicet ita, ut partus matrem naſcendo extinguat*; atque ſic ſuis Jus Rom. armis oppugnatur, quibùs contra eos, quos diſ-

diſſentiendi tenet cacoethes inſanabile & ægro in corde ſeneſcit,defendi potius deberet. Ne quid diſſimulemus,hæc noſtra eſt ſententia in inceptis,ad Dn. Struvii Synt. Jur. *Civ. ex. 1. th. 1. 2. &c.* notis, jam aliquo modo defenſa, ad litium inter cives exorientium deciſionem accuratam & non ſuperficiariam, jus naturæ & gentium, ſeu æquitatem naturalem, etiam excultiſſimam, nullo modo ſufficere: quod ipſum & hinc confirmari poteſt, JCtorum ſectam hanc vel illam: imò JCtum hunc vel illum ad ravim usque aliud vel aliud defendiſſe,adeò,ut Juſtinianus neceſſariò *delectum habere* & quid inter tot ambiguitates ab utraque parte prætenſi luminis naturalis: *arg. §. 25. Inſt. de rer. div.* in foro humano, pro juſto haberi, & ulteriùs in diſputationem rapi non deberet,ſtatuere debuerit. Unde & facile retundi poteſt *calumnia*, vel (ſi verbis *in factum temperatis*, uti velimus) *error* Lipſii,quaſi alter Juſtinianus,ſeu Lotharius,uſum juris Romani in uſum revocando, *ſpinas* ac *tricas* nobis reliquerit. Equidem, audacter dico, quod mulier Samaritana ad Chriſtum Salvatorem circa fontem Jacobæum: *Ioh. 4. v. 11. fons* naturæ *profundus eſt & non habemus quocum hauriamus*: ex ſolo naturæ jure luminevе non omnes, imò,ſi quid judico, ne quidem unica lis, ſive ex jure publico, ſive

privato,ſive criminali,ſive civili, in ſpecie terminari poteſt, ſine jure aliquo Civili: ſicut nec Theologia naturalis ſine revelata ad vitam æternam acquirendam ſufficit: unde contrariis aſſertionibus, neſcio an novioribus, an noxioribus, an audacioribus,an juri recepto injurioſioribus dicam, certè lector hians inducitur, ſi quis tamen eſt JCtus qui ſine faſtidio legit. Sanè inter infinitos alios dictator licet Juris naturæ Grotius in contraria omnia abit & quamvis ſæpè iniquiſſimus cenſor fiat LL. Romanarum, fortè non ſatis intellectarum, tamen ingenuè fatetur *ad Gall. epiſt. 156. nihil eſſe Iuvene Generoſo ac nobili dignius,quam cognitionē juris Romani,utpote,quod pleriſque populis ad optatum, per ſe etiam ſupra omnium regnorum & civitatum jura digniſſimum eſt noſci, excultumque experimentis tam ſummi quàm diuturni Imperii. Equidem* (pergit) *quicquid à Decem virorum tempore, ad Iuſtiniani usque tempora viri maximi, & judicio & morum ſanctitate eximii & eruditione eximia præditi, ad firmandum hoc Imperium,ſocietatemque civilem reperire potuerunt,id omne in Digeſtorum primum, dein in Inſtitutionum & Codicis,connexisque titulis continetur: tam evidens denique eſt ejus juris æquitas, ut,ad quos populos arma Romana pertingere nunquam potuerunt, eò tamen leges Romanæ, ſine ulla vi juſtitiæ ſuæ triumphantes pervene-*

venerint. Non jam illud urgebo, à Magiſtratu Jus Rom. eſſe præſcriptum, adeoque non tutiſſimos modò in conſcientia eſſe, ſed & vi juramenti cogi Judices, & his conſilium præbentes, ex lege muneris ſuſcepti, ut illam cynoſuram ſequantur, ne contentores Dei, Magiſtratus & conſcientiæ videantur quod jus naturæ vetat *l. 2. ff. de juſtit. & jur.* aut aliud juratò promittere, aliud agere velint: præſertim cum arbitrariarum rerum determinatio in Jure Rom. ita fuerit facta, ut, ſi in ullo, ſanè in pauciſſimis & quidem ex ſumma juris divini ſcripti puritate corrigendis (ad quæ Majeſtas Judicem obligare noluit) cenſura locum habeat: ſed hoc ſolùm nunc aſſero, non uti lumine naturæ ſed abuti illos, qui non ita ad juris Rom. explicationem illud lumen adhibent, uti cum Celeberrimo Strauchio docet Dn. Struvius: qui in dedicatione Tractatûs ſui *de Vindicta privata* ita ſcribit ad Dn. Strauchium: *Cumprimis autem ejus ſermonis, mentem jucunda ſubit memoria, quem in amæno ſolario, poſt ædes meas ſuper muros exſtructo in multam usque noctem protraximus, inter joco ſeria etiam de firmandis Legibus noſtris civilibus ex jure naturæ & gentium: quo in themate tanta animorum noſtrorum fuit conſenſio ut uno quaſi ore uterque loqui videremur. Nimirum hæc erat noſtra unanimis ſententia ad perfectam eru-*

eruditionem, omnino talem pertinere confirmationem & ad doctam juris noſtri interpretationem id eleganter facere; ſed ſedulò cavendum eſſe, ne à LL. Romanis, quæ nihil aliud quàm jus naturæ à veteribus JCtis prudentiſſimè excultum continent, diſcedatur, & neſcio quid æquitatis fingatur, ſeu quilibet peculiarem Legislationem ſibi quaſi arroget & jus naturæ intra ſui capitis cancellos concludat. Videlicet, Jus naturæ non rivulos Legum civilium debet inficere & corrumpere: ſed fontem oſtendere, unde illæ fluxerint: cum illud non ſit niſi harum fundamentum & totius quaſi navis carina: Vide *l.61. ff. de rei vind. l.34. §. fin. ff. de legat.1.* Ut verò ſola carina ad navigationem non ſufficit, ſed (verba ſunt Tullii. 3. de Orat.) *etiam latera, prora, puppis, antennæ, vela, mali, præter carinam* requiruntur, ſic idem de Juris naturæ dicas principiis primis. Nonne enim *ſodes*! ſi jus naturæ ſolùm in foro judicem deberet, ducere lites nullo modo poſſent finiri, ita ut, ſi ex duob9 malis, minus eſſet eligendum, certè tolerabilius videretur, ſi leges vel ſubtiles vel iniquas, ſed ſpeciales; quã ſi nullas, niſi leges naturæ generaliſſimas habeamus. Vide Vinnium. 1. *ſelect. qſt. 2. verſ. ſcilicet hoc inter.* Nonne quæſo! æternis fluctibus jactaretur judex, ſine legislatoris ſpeciali determinatione? nonne ab utraq; parte ſpecioſiſſimæ rationes in aciem produci poſſent, ita ut judex lupum auribus teneret, tandem-

que

quepro arbitrio & naturali, ſi Dis placet, æquitate judicaret, ſi (utiam ſexcenta alia taceam) non fuiſſet in legibus civilibus determinatum, an præſcriptio debeat obtinere? quot illa annorum eſſe debeat? quid unius hominis omni exceptione majoris teſtimonium efficere debeat? an is, qui priùs rem emit, an cui prius tradita potior ſit? quantum parentes liberis teneantur relinquere in ultimis elogiis? *Quis definiret* in nuptiis gradus? in pupillo ætatem? in partu menſium numerum? in credito uſurarum quantitatem? in concurſu creditorum ordinem? in pœnis genus? in concubitu adulteri & ſimul mariti patrem? in proceſſu tot diverſarum cauſarum commodam methodum & modum? in contractu inæqualitatis limites? in dubiis inextricabilibus præſumtiones? in obſcuris pactis, teſtamentis, legibus, interpretationem? in judice competentiam? in jure domini, patris, mariti, metam quoad res & perſonas? in rei vindicatione fructuum reſtituendorum genera? in contractibus culpæ præſtandæ ſpecies? in termino probandi ſpatium? in acquiſitione bonorum conjugali partes? in feudo qualitates? *Quis* determinaret, an juramenti litis deciſorii delatio? an tortura? an appellatio? an cenſus emigrationis? an legitimationes liberorum? an jus retractus? *quando* ſequeſtratio? diſſolutio matrimonii? alimentorum præſtandorum

rum neceſſitas? æqua ſit? Accede quæſo, & cum decempeda tua naturali, judicium fer, an ejus, cujus vita aut mors ignoratur bona, magiſtratui, an proximis debeant adminiſtranda dari? quæ pars hereditatis ventri ſit aſſignanda? quomodo feudum emphytheuſis, privilegium, aliudve jus amittatur? an uſufructuarius caveat? quis altercantium debeat onus probandi ſuſcipere? an ob damnum animalis dominus conveniri poſſit? quis in caſu dejecti vel effuſi pulſetur actione, an qui dejicit, an paterfam. inhabitans? an ædes paternæ primogenito an filio juniori pro juſto pretio ſint addicendæ? quousque pater dominusve ex filii ſervive delicto teneatur? an in regno, filii primogeniti prædefuncti filius, an patruus ſuccedat? (quod diverſis non hominum modo, ſed & integrarum gentium votis diſputatum & quæſitum) quis damnum & commodum ferat in re vendita nondum tradita? an domino ædibus indigenti inquilinus cedere cogatur? *Quis* favores Eccleſiæ, Reip. fiſco, pupillis, uxoribus, fæminis, locis ſacris, ſanctis, religioſis, Studioſis, Academiis, Profeſſoribus, ruſticis, militibus conceſſos, ex ſolis juris naturæ placitis accuratè delinearet? Quæ omnia in terminis juris naturalis diſputando in utramque partem flecti ſolita, Jus civile ſpecialiſſimè determinat, & ſic contradictionibus jugulum petit, adeoque fons

fons eſt & quaſi cornu Copiæ inexhauſtum, deciſionum ſapientiſſimarum, quæ non à Philoſopho ſed à legislatore, vim habent decidendi & deductionis metam, intra quam ſit ſubſiſtendum: quo reſpexit Plin. Secund. *lib. 10. ep. 109.* ad Trajanum ſcribens, de protopraxia quam civitates Bythinæ & Ponticæ Proconſulum indultu in quibusdā pecuniis habebant: *Nam quæ ſunt* (ait) *ab aliis inſtituta, ſint licet ſapienter indulta, brevia tamen & infirma ſunt niſi illis Tua contingat autoritas.* Hinc profectò à fumo in ignem incidit, qui incertitudinem Juris Romani metuens, aut ſubtilitates, fortè & fictas ſæpenumero abſurditates, ad jus naturæ & rationis naturalis dictamen, neſcio an corruptius? dicam an imperfectius? provocat. Ut jam taceam, ſummæ eſſe temeritatis ſuum unius judicium tot Imperatorum & Principum placitis, poſt multam deliberationem, conſiderato & lumine rationis & particulari hujus vel illius reip. neceſſitate circumſtantiave conſtitutis præponere, (qua de re notabilia habet Conſultiſſimus Mercerus in ſuo Conciliatore, verſu *Sed hæc ad id.* ubi inter alia ait *Jus nil aliud, quam ratio inſita à natura quæ communis pluribus, ut quantumvis hominum diverſa ſint & ingenia & judicia, eos tamen, qui benè à natura inſtituti ſunt, idem ſentire veroſimile ſit, ut in quo plures ſapientes conveniant, id æquum ac juſtum cenſere debeamus*) le-

ges Romanas in genere carpere &, ut phraſi utar ex XII. Tabb. ante fores Juris Rom. *obvagulatum ire*, attamen nihil injuſtitiæ, abſurditatisve, veræ ſc. non imaginariæ, in ſpecie oſtendere; quod ipſum nihil aliud eſt, quam *ſacerdotium* juris Romani, leges civiles *mactando*, & in vaſorum jacturâ, juxta tritum, figulinæ exercitium, demonſtrare. Denique ſtante hoc ſtatu noſtro, aliam Reip. faciem, quoad jura Romana, quin & Canonica, ne quidem voto aut ſpe concipi poſſe, certum eſt; indeque cõtra diſſerendo, Juriſconſultum nec ſe nec cauſam cordatis Viris approbare ſed oleum & operam perdere. Coronidis loco non poſſum quin addam notabilem textum ex Ordin. Camer. de anno 1555. *p.1. Tit.13.§.1.* ubi ſic diſpoſitum: **Die Beyſitzer des Cammer-Gerichts ſollen in keiner Sach/ſie ſeye ſo gering alß ſie immer wolle/ allein auff ihr Gutbedüncken / oder eines jeden erwogene Billigkeit oder eigen fürgenommen / und nicht denen Rechten gemäß** informirten **Gewiſſen / ſondern auff des Reichs gemeine Rechte ꝛc. ꝛc. nach Vermög und Außweiſung ihres Eydtes Urtheil faſſen/und Außſprechen:** Æquitatem enim cerebrinam duplicem eſſe iniquitatem oſtendimus in Tr. de officio judicis ſuppletorio *part.1. concl.9. §.7.* Alieniſſimi à vitio quod carpimus ſunt JCti cordatiores, qui æquitatem juri Romano non opponunt, ſed conciliant. Namque

ut

ut multos quidem feraciſſimum hocce ſeculum noſtrum, alios Viros Doctisſimos, ſic & *Iuriſconſultos* tum ſolida Juris ſcientia tum dextro legum applicandarum ſtudio eminentes felici ſydere produxit, ſed hos inter, ut inter ignes minores Luna, omnibus, niſi qui aut enormiter invidi, aut Coridone rudiores ſunt, micare videtur, ad ſummos dignitates per indigna non promotus Dn. DAVID MEVIUS primùm Profeſſor *id eſt* lignum Mercurio formando aptiſſimum, &, poſt munus Syndici Stralſundenſis, Vice-Præſes Regii Suecici Tribunalis Viſmarienſis: in quo & genus & Genius certarunt: atque animi, eruditionis & fortunæ magnitudo ſuſpicienda fuit, paucis, qui non vivus modo ſed & poſt fata publico profuit. Sunt qui in ſtudio *Theoretico*, ſunt alii, qui in *Practico*, juridicis monumentis nec imbri nec aquiloni ſubjectis gloriam æternam quæſivere. Hic, in omnibus & ſingulis aut ſpeciebus aut partibus juris non modo pondere ac varietate elegantiſſima, ſed & judicii excelſi ſoliditate & rarâ optimæ methodi laude tantùm non omnium luminibus offecit, ita ut Vir in omni literarum & ſcientiarum genere rarus, tanquam alter Papinianus tantùm ametur, quantùm ipſa Jurisprudentia. Et, nonne, quod multorum ſcripta hodiè & ſpirent & placeant, *Mevii* eſt? cujus vitulo latifundia ſua excoluere: ut adeo pingi mereatur quemadmodum olim *Homerus*, vomens ſcilicet, cum circumfuſa & lambente aliorum ſequacium turba. Quis vero ſatis deprædicare imò enarrare poteſt ingenioſiſſimos ingenii partus? ut in Viro multorum & *liberorum* & *librorum* parente ornando, Lucina & Themis contendiſſe videaatur, dubio adhuc Marte, & incerta victoria. Unde de Ipſo fortè verius narratur, quod olim de Etruſco Caſſo Flaccus *1. Sat. 10.* ait, mortuum capſis librisque propriis ambuſtum, nulla alia materiâ adhibita. Quod ſi Incomparabilis Viri tot negotia per caput & circum pectus ſalientia, tot Legationes tot Commiſſiones Regias conſideres, non poterit fieri quin tot elaboratiſſimos tractatus tanto majoribus foliis ornes. Nec numero ſolum, quod proletariorum olim erat, ſed & pondere eminent: cum non immenſum rerum judicata-

b 3 rum

rum chaos, aut ex aliorum libris meros centones invitâ Minerva & rudi Themide conſarcinatos contineant (ceu fieri aſſolet apud alios quos tenet inſanabile ſcribendi cacoethes, quique famam non quærere ſed furari amant) ſed operam nil niſi ſolidiſſimum & longa rerum experientiâ ſubactum judicium, immo tot æ veritatis fundamentis non lubricæ authoritatis tenui tibicine nixũ, ſpirantem. Et nec dum urnæ meæ ſatis conſtat, an verecundia eos, à quibus diſſentit Noſter, erudiendi magis quã refutandi? an operum utilitas? an tractandi methodus, majus pretium habeant, imo & ſtylus qui nec juſto diffuſior neque nimio conciſior eſt. Ut vero Mevius in reliquis ſcriptis, alios, etiam primæ ceræ & ſubtiliſſimos; ſic in *deciſionum volumine* noviſſimè ſe ipſum viciſſe videtur, quod ideo nos inter libros (ut *Pliniano* acumine utamur) non *legendos* ſed *lectitandos* habuimus ſemper, & nunc quoque illas partes, quas Alexander Homero, tribuimus: cum experimento deprehenderimus ex illo Jurisprudentiæ praxin addiſci poſſe, non illam nudam & circumforaneam, ut Joh. Faber *ad.* §.3. *Inſt. de Legat.* ait, ſed ſolidiorem; tum juris civilis, tum naturalis æquitatis, denique divinorum placitorum regulis fultam: non illam quæ lites ita ſpirare jubet, ut nunquam exſpirent, ſed quæ ſingulari artificio vitilitigatorum mille effugia atque peſſimas ambages amputare docet, judicemque ſale & ſcientiæ & conſcientiæ inſtruit.

Atq; ex his *Benevole Lector*! prono quaſi alveo fluit, qua occaſione præſens noſter, aliis copiis educendis, levi velut armatura velitum, præludens diſcurſus ſuper variationibus Mevianarum deciſionum natus ſit, de quo idem dicere poſſumus quod in Politica Lipſius, lapides ſcilicet & ligna à Mevio nos accepiſſe, ſolamque ſtructuram noſtram eſſe. Nempe, cum diurnâ & nocturna manu Mevianas deciſiones volveremus, quædam ex illis nobis objectæ ſunt, quæ, ſi non aliud, certè ſpeciem contradictionis habebant. Equidem non velimus ut, quod inhumaniſſimum Seneca. 3. *Benef.* 10. judicat, cruentus diceretur beneficii nobis à Mevio exhibiti exitus: cum æterno ſtigmate notatus ſit Popilius dum eosdem maximo odio habet, quibus

bus plurimum debet. Ut enim animus & voluntas facta diſtinguit. ceu Maſuri rubrica jubet: ſic & inſtitutum noſtrum, non odium, ſed, ſi non laudem tamen veniam merebitur. Quaſi in magno Oceano naufragis deciſionibus, velut è pharo, ſalutarem lucem & cum luce portum aperire easque à manu velut hoſtium eripere laboramus, non contradictiones venari, multò minus cum larvis luctari. Vulneramus Mevium, ut Medici, non ut *retiarius ſecutorem*: ut ſanemus, non ut noceamus. Unde laborem hunc, doctiorum limæ anſam præbiturum nemo aut ſpernet aut arrodet, aut glorioſo ſcelere me innoteſcere velle dicet, niſi quem inſanum eſſe *non ſanus juret Oreſtes*. Nec novum eſt in ſcholis Juridicis aut muſteum id ſtudii genus etiamſi ipſum Juris Corpus reſpicias, in quo antinomiæ quæri & conciliari ſolent. Sic Merillius variantia ex Cujacio peculiari tractatione collegit, eandem, credo, gratiam captans quam ille qui alterius agrum *elapidat*. Notant noſtri Commentatores Marcellum JCtum à Juliano ferè ſemper ita diſſentire, ut ne parva quidem rimâ prætereita, ſi quam offendat in Juliano, ubique figat aculeum, adeo, ut, cum alii juris auctores quid veriſſimum & extra omnem dubitationis aleam eſſe, innuere volunt, dicant, *Julianum id ſcribere & veriſſimum eſſe, cum & Marcellus conſentiat. l. 27. §. 2. ff. ad leg. Aqu. l. 2. in fin. ff. de noxal. action.* Cujac. *XIV. Obſ. 35.* Tali quidem animo nos non legimus Mevium: non ex ſtercore aurum, ſed ex auro, ſi quid eſſet ſtercoris, colligere ſatagimus, non Eminentiſſimo Viro & ſolidiſſimo JCto contradicere, (ſolem nulla ſagitta ferit) quod aliàs ſolenne eſt iis, qui (ut Tullia per occiſi patris corpus ad regale ſolium) alieno damno ad famæ apicem graſſantur. Et ſi maximè verum ſit, unam deciſionem alteri jugulum petere, tamen diſcretus arbiter facilè admittet, quandoque bonum dormitare Homerum; ubique Lynceum eſſe omniumque meminiſſe (*ut Legislator ait* §. 14. *ff. de conſ. Dig. ad Sen.*) non humanitatis eſſe ſed divinitatis; & vel judicioſiſſimum ſuos aliquando manes ita pati, ut tamen verruca illa totius corporis venuſtati nihil detrahat. Audi Senecam 1. *de Ira.* 14. *Pecean-*

cantes quid habet quis cur oderit ; cum error illos in hujusmodi delicta compellat? non eſt autem prudentis errantes odiſſe, alioquin ipſe ſibi odio erit. Et 1. de Ira. 24. *neminem eſſe tam circumſpectum cujus non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat.* Et quis quæſo ! eſt qui neſciat eſſe hoc triſte moralitatis privilegium, quod liceat aliquando ceſpitare : in eo etiam ſtudio & ſtadio, ubi ætatem triviſti : fierique etiam hominibus doctiſſimis ut excidant ea quæ Priſcianus Divus obelo & Orbilius plagoſus apud pueros *primi elementi*, ferula vindicaret, cujus generis eſt, quando illuſtris Scaliger, *valeant*, inquit *qui bonis obtrectantur* : & Lipſius Dictator Criticorum *Vereor* ut *auſtri iſti majores dent tempeſtates*, ceu ſpumat plenis vindemia labris apud rigidum cenſorem Caſparum Scioppium. Et *Mevius* quidem noſter varians quandoque, tanto minus mordacibus telis patet, quia noto notius eſt iis, qui vel per tranſennē praxin inſpexére materiæ & litis mille implicationes Gordias Referenti ſæpè perſuadere aut ſententiam, aut confirmans vel amplificans vel reſtringens momentū, quæ non involutus, aut non, aut non ita ſimpliciter applicaret defenderetque. Fortè & opinionem antè adoptatam ex juſta cauſa, iterum emancipavit, aliamq; amplexus eſt : aut ad circumſtantias in actis quidem, non tamen in deciſione, (brevitatis ſcilicet ſtudioſâ) contentas reſpexit, unde nobis umbra diverſitatis offunditur, quæ facile diſparebit, ſi quis animo ſubtili rationem diverſitatis excutiat, quod, quantum ad antinomias Imperator jubet *in præfat. confirmi. ff.* Denique, ſi ullibi, ſanè & hoc ſe clypeo *Noſter* hìc tueri poteſt, *Eſt opere in magno fas altum obrepere ſomnum* ; & ut optima Dido, ſic optimus Mevius *Huic uni forſam potuit ſuccumbere culpæ.* Plura pro Eo dicere poſſem ſed ipſa virtus ac eruditio Ejus celeberrima Ipſum abſolvit. Vale B. L. ſpecimen hoc Mevianarum antinomiarum, cum reliquis diſcurſibus adjunctis, benignè ſuſcipe, & fave

Tuo ex aſſe

O. P. ZAUNSCHLIFFERO,
J. U. D. ac Prof. ut & Synd. Univ. Marb.

VARIA-

VARIATIO I.

POſt tres conformes ſententias provocari jure Romano non poſſe notiſſimum eſt: ſed quæritur, an idem obtineat, ſi una vel duæ ſint ſuper cauſa principali, tertia ſuper deſertione? Noſter *p. 1. d. 18. num. 5.* ait: Ita in ſimili tradunt Dd. duabus ſententiis latis ſuper cauſa principali, tertiâ ſuper deſertione, non dici ſententias conformes Covarruv. *Pract. Qſt. 25. num. 5.* Cravet. *conſ. 182.* Sed huic pleno quaſi ore reclamat, quod Idem dicit *p. VII. dec. 309. num. 7.* Nam (inquit) conformes ſunt ſententiæ, quæ finem litis imponunt, etſi una illarum cauſam principalem definiat, alia prolata ſit ſuper deſertione. Gail. 1. O. 38. *num.* 2. Theſſaur. dec. Ped. 122. *num.* 11. vel ſaltem liberatoria ſit ab obſervatione judicii Theſſaur. *num. 9.* Borg. Cavalc. *p. 1. tit. de Judiciis. dec. 7. num. 8.* Poſteriori ſententiæ calculum noſtrum damus. *P. 1. d. 18. num. 5.* Obſt. *P. 7 d. 109. num. 7.*

VARIATIO II.

DE hodierna vocis, *Juriſdictionis*, acceptione, & anne etiam *criminalem* ambitu ſuo complectatur, inter Sacerdotes Juris non ſatis liquet, ut videre eſt apud Hahn ad Weſ. *de Juriſdictione num. 8.* Struv. *ex IV. th. 79. 80. 81.* Unde quæritur, an hodie conceſſa Juriſdictione, ob Germaniæ conſuetudinem generalem, ſub voce Gericht/ etiam criminalem complexam, Juriſdictio criminalis videatur conceſſa, utut ſpecialior conſuetudo in illo loco non oſtendatur recepta in ſimilibus caſibus? Generalem Germaniæ conſuetudinem *P. 1 d. 45.* Obſt. *P. 4. d. 290.*

non ſufficere pro aſſerenda Jurisdictione criminali ait *Autor* in cauſa Hellmuth Ottonis von Winterfeld / *p.1. dec.45. num.2.3.* ſed jus commune Romanum ideo ſequendum, cum conſuetudo à Jure illo aliena ſit ſtricti juris, nec extendatur. Idem tamen Soſia in eadem cauſa *p.IV. dec.290.* in alia omnia abit, & ex ſola Germaniæ conſuetudine generali, voci Jurisdictionis vel Gericht / vim illam tribuit, ut & Jurisdictionem criminalem includat, *maximè* ſi (ut *num.11.12.* addit) qui ſimilia judicia in eadem terra in bonis ſuis exercent, criminali Jurisdictione funguntur: quod tamen momentum in *d. dec. 45.* ideò non magni fecerat Autor, quia conſtabat in loco litis, Ducatu ſcilicet Bremenſi, non omnes nobiles in prædiis habere Jurisdictionem criminalem: aliquos ex ſpeciali conceſſione acquiſiviſſe & inveſtitos eſſe, alios in prædiis ſuis eâ planè carere. Deciſio ergo *45.* deciſioni *290.* palmam præripit. Confer Schnob. ad ff. diſp. 1. th. 5. & 6. ibique Bejer.

VARIATIO III.

P.1.d.63. Obſt. *P.7.d.308.* *p.6.d.114.*

DIximus Variat. I. provocationem non admitti, ubi ter conformiter judicatum: cui limitationis aſteriſcum addit Noſter *p.6. dec.114.* niſi una ex ſententiis ſit *nulla*. Hæc conformitas non conſideratur in Camera, nec in Judicio Dreſdenſi, unde nec in Tribunali Regio Viſmarienſi eam introducere placuit: *P.1. dec.63. num.6.* Sed adi & audi *P.VII. dec.308.* ubi poſt tres ſententias non ſolùm non appellari, ſed nec reviſionem peti, nec reſtitutionem implorari; nec *nullitatem* deduci poſſe ait. Cum verò ex præfatione ad deciſiones pateat, Ordinationem Judiciariam Judicio Viſmarienſi quidem anno 1653. aliquam, at omnibus numeris gradibusque perfectam non niſi anno 1657. die 28. Jan. præſcriptam, non abſurdè quis conjecerit, conformitatis conſiderationem nondum obtinuiſſe tempore natæ *deciſ.63.* videlicet anno 1653. at poſt illam Ordinationem perfectam aliud placuiſſe, poſt quam non mutavit ſententiam Autor, teſte *p.8.d.12.* Quo licet ſcopulo remoto, ſcopeliſmus tamen remanebit inter *d.d.114.* & *d.d.308.* circa nullitatem, niſi dicas *illam*

loqui

loqui de nullitate notoria ex actis, *hanc* de illa quæ altioris eſt indaginis: quò caſu illæ amicè conſpirant.

VARIATIO IV.

AN ſententia ſine probatione lata ſit ipſo jure nulla? quæſtionis eſt inter Juriſconſultos: Mevius *p.1. d.119. num.7.8.* docet, ſententiam ſine probatione latam, nullam eſſe: cum ea ſit pars ſubſtantialis judicii, *l.pen. C.de probat.* Contrà diſſerit *p.V.d.402.num.2.* Probationes quidem non habentur de ſubſtantia Judicii: *Zaſ.in l. ait Prætor. §.ſi Iudex.num.10.ff.de re jud.* unde fit, ut ſententia abſque probationibus lata non habeatur nulla: Pacian.de Probat.*lib.1.cap.3.num.24.* attamen quia ſine iis veritas haberi nequit, omiſſæ efficiunt ut *iniqua* ſit & juſtè impugnetur. Poſteriori deciſioni patrocinium noſtrum promittimus: quam & defendit Klock *2. conſ.82.num. 17. 18. 19.*

P. 1. d. 119. Obſ. p.5.d.402.

VARIATIO V.

AN mulier, quà mulier, in integrum reſtituatur dubium eſt, quaſi minori comparetur? Negat & pernegat Noſter p.I. *dec. 133.* p.IV. *d.32.* in fin. (ubi docet mulierem non teſtitui contra tranſactionem mariti, ut minori hoc fieri ſolet) in quibus locis, ſolidum crepantes rationes adducit. Affirmat p.II. *dec.129. num.8. dec.130.* p.III. *d.84.num.5.* Diſtinguit *p.I. d.218.* & ſententiam negativam communem ita accipit, ut quà reſtitutionem non ſimilia ſint minorum & mulierum jura, quia non par ſemper eſt illorum conditio: In quo verò conveniant, in eo mulier fruatur juribus minorum, ſicut fit in iis, quæ non injuſtè ignorant mulieres,

Variarum deciſionum pugna, circa reſtitutionem mulieris in integrum.

aut captum muliebrem ſuperant, qualia ſunt etiam ea, *quæ ex mero jure civili* proficiſcuntur, nec diſcunt aut tractant mulieres, in quibus ignorantia eſt excuſata, atque æquitas ob iſtam læſionem reſtitutionem indulget. Tranſeat.

VARIATIO VI.

P. 1. d. 206. Obſt. p. 8. d. 300.

IN caſu ubi debitum nondũ eſt certũ, an immiſſio decernatur variè differit Autor. Nã *P. 1. dec. 206.* ait, immiſſio ſemel facta debitum liquidum præſupponit & tale repertum ac declaratum eſſe præſupponitur: ſiquidem qui immiſſionem impetraverat, jubetur adhuc poſt illam jam executioni mandatam liquidum reddere creditum velut ex judicato ſecurus, non injuſtè ulteriorem liquidationem recuſat, donec ab adverſa parte docebitur cauſa, ob quam liquidatio iterari debeat, aut unde conſtet, illam non factam, ſed judicem errore aut injuriâ ad immiſſionem properaſſe. Paulò alius & diverſus eſt diſcurſus in p. VIII. *dec. 300.* ubi ita fatur Autor. Publicatâ ſententia & executione ad certam ſummam uſuræ reſiduæ, de cætero immiſſione in bona, decretâ condemnati debitores eam remorari intendebant, quod dicerent, etſi condemnatio ad ſolvendam ſortem atque uſuras facta erat, tamen, nondum eſſe liquidum, quantum eſſet reſiduum, & jam data quædam & quod deberetur nondum in quanto certum, *prius fieri debere* petebant,

bant, ideo inhibitionem executionis & diſcuſſionem liquidationis. Ut hæc fieret placebat, ſed non ſimiliter ut inhiberetur; nec enim decreta erat executio, niſi ad certam uſurarum ſummam, cujus & certum erat debitum nec negandum. Haud ad omne quod in lite fuerat ſe extendebat, ſed tantum immiſſio in bona pro reſiduo decreta erat; quæ nihil aliud tribuit quàm pignus judiciale, ad quod ſufficit *aliquid deberi* & liquidum eſſe, cujus cauſa individua eſt, & ſe extendit ad omnia quæ debentur, *etiamſi nondum ſint certa*; intereſt enim inter immiſſionem & adjudicationem: dum illa certitudinem totius debiti non requirit; at hæc. Poſterior deciſio juſtiùs induit arma!

VARIATIO VII.

AN citatio in ſummariſſimo ſit neceſſaria? ſi quæras: Reſpondebit noſter p. 11. *d.237. num.3. &c.* non aliter illam obtinere, quàm ſi turbationis & turbarum pericula dubia adhuc ſunt, & res moram patitur: aliàs ſecus eſſe. Iſtis verò certis exiſtentibus properandum eſſe ad ſummariſſimum nec citatione differendum, ubi uſum ea non habet, nec neceſſaria eſt, cum quicquid fit, ſine præjudicio fiat. At in p. IX. *d.14. num.3. &c.* credit, ſi judex legitimè non citaverit & audierit alteram partem, contra jus eam ita gravari, ut & ob nullitatem iſtam notoriam locus ſit provocationi, aliàs in ſummariſſimo illicitæ: cum in ea quæ jure

P.2. d.237. Obſt. *p.9. d.14.*

naturali ad quodvis judicium ſint neceſſaria, omitti non debeant. Sed ſcio quid pro conciliatione dicere poſsis: Id quod in *dec.14.* ponitur indiſtinctè, id diſtinctè intelligi juxta *dec.237.* Judicem me faventem & ut in *l.4. §.1. ff. de manumiſſ.* dicitur vel conniventibus oculis judicantem habebis. Itaque ex bonæ fidei clauſula intentioni Tuæ ſuccurram, & alium quærendæ concordiæ modum ſuggeram. In *dec.237.* Autorem loqui de citatione ante cauſæ cognitionem: ut oſtendunt verba *properandum ad ſummariſsimum nec* &c. in *dec.14.* de citatione in ipſa cauſæ cognitione. Confer ad hanc materiam p.3.dec.164.

VARIATIO IIX.

P.2.d.241. Obſt. p.6.d.48.

USuras ab aliquo accipere indicium eſt, eum haberi debitorem etiam ſortis, quia illæ hujus ſunt acceſſio, nec ſine ea præſtantur. *l.1. §.10. ff. de ſeparat. l. rogaſti §.1. ff. de reb. cred. c. conſuluit. X. de uſur.* Mev. *p.2. dec.241.* Sed in caſu, ubi dominus prædii ab eo, qui à primo colono partem reconduxerat, mercedem accepit, illum ſecundum colonum pro debitore à domino non agnitum, docet *Idem* p.VI. *dec.48. num.4.* cum Anton. Fabr. in Cod. *L.4. t.41. def.28.* adjectâ limitatione niſi novatio fuerit facta. Notandum tamen in *dec.241.* de uſuris adeoque *acceſſorio* ſortis: in *dec.48.* de mercede locationis loqui Autorem, quæ duo differre tam certum eſt, quàm clarum, uſurarum non eſſe uſuras: at bene mercedis. arg. *l.2. l.17. C. de uſur.* Schuz. compend. *tit. locati pag. mih. 302. in fin.* quæ tamen diverſitas an & diſcrimen faciat, ubi dominus ab alio uſuras vel mercedem accipit? alii judicent: certè utrobique conſenſus in perſonam & electio adeſſe videtur.

VARIATIO IX.

P.2.d.287. Obſt. p.7.d.250.

EOs, qui pignori ſuo incumbunt, poſtea excitato concurſu proteſtari, & jura ſua ab iſto ſeparata ſervare, frequens eſt: Cothm. *V. Reſp.28. num.32. &c.* Mevius, *p.3. d.252. num 5. p.9. d.25.* (ubi de effectu) An illis bene ſit conſultum, non vult diſputare autor *p.2. d.287. num.1.*

ubi

ubi in negativam propendet, quia illa proteſtatio non excludit aliorum creditorum potiora jura, è contra tamen contra proteſtantem operatur. Quod ſi evolvas p. VII. *dec. 250. num. 4. 5.* monentem videbis, quod creditores ante concurſum immiſſi & jus quæſitum habentes ſine aliquo incommodo concurſui ſeſe immiſcere non poſſint, dum jura ſua jam certa in litem deducunt: quod & conſultius eſt, dum ita inanibus ſumtibus abſtinetur, quam ſi in concurſu liquidatione atque allegationibus ſuis defungantur. Quid ergo? Qui jura creditorum reliquorum metuit, ſequatur *dec. 287.* qui non *dec. 250.*

VARIATIO X.

JUdex interloquendo ſuper eo ſententiam protulit, quid pro obtinenda victoria eſſet probandum: illud quidem impoſitum planè eſt irrelevans & impertinens, & quà controverſiæ ſtatum aliud probatu opus: at ſi ſententia in neceſſitatem judicati abiit vel agnita eſt, illi judicato eſt ad unguem ſatisfaciendum, nec quicquam poſt ſententiam *mutare judex* poteſt: Ita diſſerit Noſter *p. 2. dec. 301.* Opponi poſſet *p. IV. dec. 51.* ubi is, qui non relevans probare juſſus erat, nec probaverat ſatis receptũ, condemnatus appellavit, ubi nõ conſiderata fuit injuncta illa irrelevans probatio. Sed bona verba! diſtinguendum enim inter judicem eundẽ, qui probare juſſit, de quo *dec. 301.* agit, & judicem ſuperiorẽ, de quo apertiſſimè agit *d. dec. 51.* ubi *num. 3. & ſeqq.* addit autor: Nec obſtat, quod Judex prioris inſtantiæ ut relevans quidquam admiſit, ejusque probationem fieri adverſarius paſſus eſt: Hoc enim, ſi perperam & nullo jure factum, non

p. 2. d. 301. opp. *p. 4. d. 51.*

nonadſtringit in ſecunda judicem, cum appellatio in hac reducat cauſam in eum ſtatum, in quo tempore litis conteſtatæ fuit, & integrum facit Judici ſuperiori, quid juxta cauſæ ſtatum ſtatuere velit, in quo quæ proceſſus ſunt emendare poteſt. Nodum ergo in ſcirpo hic vix inveniemus, id tamen turbat, quod ſententia in rem judicatam prolapſa, annulletur, hoc modo.

VARIATIO XI.

P.3.d.17. Opp. *p.4.d.32.* SIcut aliàs factum vel contractus mariti uxorem regulariter non obligat, ita nec ideo uxor creditoribus hereditariis obligatur, quod maritus uxoris nomine ſe hereditati ſoceri immiſcuit, cum vel facere non potuerit, niſi tanquam uxoris curator, cui non licet ſine ea adire vel repudiare hereditatem. Perinde nec ex eodem facto liberi tanquam heredes fiunt obnoxii, quos pater immiſcendo obligare non potuit: Ideo non obſtante mariti & patris facto, uxori liberisque conventis exceptio, ſe non eſſe heredes proficiet, niſi geſtum approbaverint: Noſter. p. III. *dec. 17.* Aliter judicare videtur. *p.4.dec.32.* Etſi (*inquiens*) generali mandato non continetur alterius cauſa tranſigendi poteſtas, ideo qui de alieno jure tranſigere vult, ſpeciali mandato opus habet: tamen id ipſum ſic accipiendum eſt, niſi tali mandato generali annexum fuerit jus liberæ adminiſtrationis, per quod accipitur & exercetur tranſactionum facultas. Cum itaque illud

mari-

marito in bonis uxoris competat, utique dubitandum non eſt, tranſactionem de iis ab iſto factam, validam eſſe, eo magis, quod per mores noſtros ille curator uxoris ſit, eaque omnia poſſit, quæ tutorum curatorumque officio congruunt, inter quæ tranſactio reputatur: non auditaque fuit exceptio, non comprobatæ ab uxoribus tranſactionis, quam mariti inierant, ut & contradictio iſtarum nomine interpoſita, poſtquam illæ facta maritorū ut curatorum rata habere tenentur, ita (ceu in *Notis* additur) ut nec reſtitutio, quemadmodum in minoribus, poſſit locum habere. Adverſis frontibus hæc cum prioribus pugnare videntur: Sed ut ex *dec. 17. num. 24.* apparet, in caſu hæreditatis nomine uxoris vel liberorum à marito patreve aditæ, ſpeciale quid ac in aliis contractibus de re uxoris vel liberorum initis, obtinet ideò, quia hereditas Jure civili per procuratorem nullo modo adiri poteſt, ſi heres abſit: unde allegat *l. 90. pr. ff. de acq. vel omit. her. l. fin. §. fin. C. de bon. quæ lib. l. 7. C. de jur. dot.* Vide hæc accuratius explicantem Cujac. *lib. 1. Obſ. 34.* Wiſſenbach. *p. 1. diſp. 58. th. 8.* & *p. 2. diſp. 41. th. 2.* Struv. *ex. 34. th. 25.* Unde Mev. *p. 6. d. 29.* docet, ſi tutores nomine pupillorum hereditati ſe immiſceant, pupillos poſt perfectam ætatem animum abſtinendi declarantes, ipſo jure tutos, nec opus habere reſtitutione in integrum, qua tamen uti cogantur minores, explicante Ant. Fab. *lib. 3. Cod. tit. 22. def. 2.*

VARIATIO XII.

AN in cauſis ſummariis reconventioni ſit locus? non admodum conſtans Autor eſſe videtur: P. III. *dec. 22. num. 1.* putat in executivo proceſſu nec non ſummariis cauſis, reconventionem quoque licitam, allegato Colero & Carpzovio. Sed ejusdem p. III. *p. 3. d. 22.* Opp. *p. 3. d. 170.*

B *dec.*

dec. 170. Appellatione (*ait*) interpoſita, querebatur tutor ſe pupillo poſt finitam tutelã condemnatum eſſe ad reliqua, excluſa vel ad alium proceſſum ſepoſitâ reputatione contraria, ejusque cauſæ reconventione. Hæc, ſi aliud quidquam continuiſſet, quam quod ad tutelam pertineret, conſenſiſſemus reconventioni non eſſe locum ut cum actione tutelæ pari paſſu ambularet eamque retardaret, de qua judicium ſummarium celerisq; expeditionis eſſe oportet, nec ſummaria cauſa ex reconventione ad ordinarium judicium pertinente retardanda: &c. Dixerim: reconventioni locum *d. dec. 22.* ſed poſt finitum proceſſum ſummarium: *d. d. 170.* uti apparet ex iis quæ ante laudatus Carpz. *p. 1. Conſt. 5. def. 25. & 26.* habet, quam Mevii mentem etiam dicta verba, *ut cum actione tutelæ pari paſſu ambulalaret eamque retardaret*, innuunt Confer Mynſ. *1. Obſ.* 10. Hahn. ad Weſ. *tit. de compenſat. n. 9.* Strauch. Diſſert. Juſtin. XXIV. *th. 23.* ubi ex *Vmmio* tradit, ſi ab actore cauſa ſummaria ſit mota, eum reconveniendo ordinario judicio (*proceſſu ſimultaneo*) pulſari non poſſe.

VARIATIO XIII.

p. 3. d. 171. Opp. *p. 4. d. 13.* Eſt quidem magna pro Notario præſumptio, eaque efficit ut ejus teſtimonio, utut ſingulari, fides detur vicemque duorum teſtiũ habeat: attamen non niſi in his quæ ad officium pertinent atque hujus cauſa coram & ab ipſo geruntur: *verba ſunt* Autoris *p. 3. d. 171.* quibus bellum indicere videntur illa quæ habentur *p. 4. d. 13.* Non quidem neceſſarium, ut, quomodo ad ſolennitatem ſeptem teſtes requiruntur, ita etiam ad ſemel confecti probationem tot adeſſent: Creditur ad

pro-

probationem ejus tenoris etiam duos teſtes ſufficere, at ſine teſtibus ſolius Notarii aſſertioni ea fides minimè debetur : *maximè* cum non conſtet teſtamentum aliquándo fuiſſe factum aut publicatum, nec etiam alia adminicula apparebant : Notariis enim in his quæ ſui ſunt officii multum fidei, *nunquam vero tantum tribuitur, ac ſoli poſſent teſtificari, & duorum omni exceptione majorum teſtium fidem ſuppleant*, ideo ſinguli plenam fidem faciant, quod vel circa teſtamenta & inſtrumenta hinc evidens eſt, quod Notarii ſcriptura ſola ſine teſtibus nō ſufficit. Contradictio eſt, niſi dicas in *dec. 171.* eſſe regulam : at eam non tam firmam quin patiatur exceptionem in ultima voluntate probanda, quæ probatio delicatior eſt & difficilior, cum circa eum ſit qui jam mortuus eſt adeoque amplius cauſam ſuam agere nequit Struv. *ex. 34. th. 57.* Vel niſi dicas, tum Notarium duorum teſtium vicem ſupplere, cum alia adminiculantia apparent, ut in *dec. 13.* dictum, ita ut particula *maximè* ibi ſit reſtrictiva non ampliativa.

VARIATIO XIV.

POſtquam juramentum ab aliquo delatum eſt adverſario ſuo *uſque ad finem litis integrum putat* Mevius p. III. *dec.* 201. *num. 1. 2.* revocatione facta probationes offerre, *etiamſi iſte acceptaverit*, modo non retulerit. Sed quid p. II. *dec. 93.* ſtatuit? Quemadmodum *ait* præſtito ſemel juramento judiciali deferens pœnitere nō poteſt & probationem contrariam offerens non auditur: ita cum *delatum ab uno alter acceptat* idem non licebit, velut quod pro præſtito habetur: niſi aut nova in-

p. 3. d. 201. Opp. *p. 2. d. 93.*

 ſtru-

ſtrumenta vel probationes ſupervenerint vel deferens acceptantem pejeraturum docere velit. Diffidet à ſe Autor niſi pallium hoc, ſed admodum pellucidum, benignus arbiter admittat: Usque ad finem litis integram eſſe revocationem: *d. 201.* ſed ex cauſâ de qua *in d. 93.* Tu quisquis es! melius calculos omnes pone: à te enim ratio exigetur me obſequium excuſabit: ut cum Plinio *2. ep. 18.* loquar.

VARIATIO XV.

p. 3. d. 314. Opp. *p. 8. d. 48.* POſtquam de productione teſtium in ſecunda inſtantia, poſt didicita atteſtata prioris, controverſiam JCtorum definivit Pontifex Clemens II. eamq; prohibuit *clem. 2. de Teſtibus*, pro veriori tandem ſententia id habitum & in *judiciis ſervari cœptum*, ut non ſatis probata in priori inſtantia per alios vel eosdem teſtes in ſecunda probare non liceat: at non ſine exceptionibus quibusdam &c. verba ſunt Noſtri *p. 3. d. 314.* Quid judicas Benevole Lector! cum evolvis *p. 8. dec. 48.* cujus tenor hic eſt: Eſt JCtorum de eo altercatio utrum poſt publicatas in prima inſtantia atteſtationes, in ſecunda iidem vel alii teſtes examinari queant. Quid juris ſit quoad eosdem articulos alia cauſa ſcribendi & ſuper eo judicium referendi occaſionem dedit: incidit verò & ille caſus, ubi appellans ſuper articulis planè contrariis probationem eamque per teſtes novos afferebat, inque eo ſita erat vis gravaminum appellationis. Sicut autem olim deciſum fuit, ſuper iisdem articu-

ticulis teſtes alios in ſecunda inſtantia admitti, ita nunc concluſum, perinde etiam ſuper planè contrariis per iſtos probationem non eſſe rejiciendam. Convenit hoc beneficio ſecundæ inſtantiæ, ut non deducta deducere, non probata probare liceat, inani futuro, ſi non alia probatio appellanti ſuper contrariis articulis permiſſa fuerit: Cum in prima inſtantia liceat tam reo quam actori articulos ſeu poſitiones contrarias facere, ideò contrariis probationibus uti, non poteſt id denegari in ſecunda &c. Tantum opponitur cùm *Iuris Canonici aliter caventis* textus, cùm quæ eſt illius ratio, metus ſubornationis, ob quem generatim, poſt ſemel didicita atteſtata teſtium examen non admittitur. At, ille (textus) à jure civili *& Imperii praxi aliena* non ultra valet quam receptus reperitur: Hic vero (metus) ut in ſecunda inſtantia, tantus non eſt & quoque prævideri poteſt ita minus curatur. Concordiam hîc quærere decimus tertius Herculis labor eſſe videtur. Quin & ipſe Mynſinger *cent. 1. Obſ. 41.* in quo noſter proram & puppim ſuæ ſententiæ in *d. dec. 48.* ponit, Stentoreâ voce (ut & in *cent. 5. obſ. 59.*) clamat, ut ut duabus in cauſis in Camera articuli primæ inſtantiæ in ſecunda ad probandum admiſſi fuerint: ſi tamen verùm fateri liceat contrariam ſententiam de jure veriorem magisque receptam videri. Unde & Mevius in *dec. 314. num. 2.* pro illa opinione ipſum adducit cum *Gail. 1. Obſ. 105.* Planè alienum etiam eſt à vero ſententiam affirmativam in Tribunali Vismarienſi receptam eſſe, ut aſſerit *d. d. 48. num. 2.* nam aliud etiam Hypſea cæciori ex *d. d. 314.* verbis *in judiciis ſervari cæptum*,

B 3 item

item *p. 2. d. 52. num. 1.* apparet. Ut ille qui rigoroſior eſſe velit ſeveriſſimam illam ſententiam (ut vocatur *in l. 1. §. 5. ff. de poſtul.*) Appii Claudii dicere poſſit: *Quo vobis mentes rectè quæ ſtare ſolebant Antehac ingenti ſeſe flexere ruina.* Sed demus alienis erroribus veniam ut noſtris impetremus. Totam hanc materiam plena meſſe exhibet Nicol. in Proc. *p. 1. cap. 64.*

VARIATIO XVI.

p. 3. d. 381. Opp. *p. 8. d. 445.* ETſi legati dominium ipſo jure in legatariũ tranſire intelligatur, ideo & rei vindicatione legati nomine agatur, tamen hæc vindicatio non eſt ſicut alia ante omnes creditores, ſed exceptione crediti repellitur, dum hoc omni legato potius eſt Mev. p. III. *d. 381.* A qua verò deciſione diſcrepare videntur illa quæ traduntur *p. VIII. d. 445.* Per privilegia (ait) Nobilium & ſuper iis explicandis publicatum receſſum Wollinenſem, in Pomerania viduæ poſt mortem mariti accipiunt *ex bonis* ejus currum & equos, & quidem ex hereditate cum illa ſufficit, alias etiam in ſubſidium ex feudo. Incidit autem quæſtio cum maritus obæratus moreretur, nec bona relicta æri alieno ſufficerent, an etiam tunc viduæ iſti cederent? Viſum fuit diſtingui, utrum maritus reliquerit poſt diſceſſum equos & currum, nec ne? relictos à vidua præcipi, ideò ſub concurſum non venire: quia (ut *in notis* additur) vidua jus quoddam reale ex lege habet, quod conſuetudo illi tribuit, ex qua maritus nuptæ currum & equos dare ſolet, non exiſtentium pretiũ eidem non ſolvi. Nec dici poeſt jus tacitum viduæ nobili acqui-

quiri, id enim potentius eſſe non poteſt jure eo, quod legatarius ex legato habet jure communi, nec favorabilius, jure creditorum de damno vitando certantium. Unde & Autor in *dec. 445.* verſu. *Quinpotius*, ſeſe corrigere videtur, atque ad ſaniorem mentem & priorem ſententiam, quã in hac ipſa cauſa Jürgen Platten Wittib contra mariti creditores defenderat *p. 6. dec. 244.* redire.

VARIATIO XVII.

AN jure communi poſt probationes alias fruſtra tentatas, locus ſit delationi juramenti judicialis? non usque adeo expeditum, ut dicere poſſis de JCtis quod de Philoſophus Seneca: Facilius inter horologia quam Philoſophos convenire. Affirmativæ patrocinatur Struv. *ex. XVII. th. 32.* cum allegatis, quibus jungi poteſt Carpz. 1. *C. 12. def. 2.* Nebelkræ *dec. 12.* Cacher. *dec. 97.* Theſſaur. Fachin. Zoëſ. Trentacinq. in aciem adducti à Dn. Tabore Relat. Argent. 36. qui hanc ſententiam temperat, niſi teſtes laudati & producti, mendacii, calumniæ vel erroris producentem convincant, & & ſic planè & plenè in probando quis defecerit. Negativæ favet Bacchov. refutatus tamen abs Hahnio tit. *de jurejur. num. 9. nota. 1.* & alii plures. Mevius hoc de negotio, ita differit ut dicere poſſis, *Quo teneam nodo mutantem Protea vultus!* *P. IV. dec. 5.* ait *num. 5.* *p. 4. d. 5.* Opp. *p. 6. d. 405. & p. 9. d. 78.*

Jure communi, probatione licet ſuſcepta, juramenti delatio ſupereſt, tam quà actorem quàm quà reum; quod *in notis*, manifeſtè putat probari *ex. l. 11. C. de reb. cred.* At P. III. *dec. 260. num. 5.* limitat ſententiam *modo utrinque nihil ſit probatum*, ſecus ubi altera pars inſtrumentum pro ſe habeat: quam ipſam limitationem diffuſiùs inculcat *p. 6. dec. 405.* tota. ubi addit *num. 4.* Ordin. Judiciariam Viſmarienſem *p. 2. t. 34. §. 3.* diſtinctionis ſecuri nodum hunc Gordium diſſecuiſſe: & *num. 9.* *communiorem* & veriorem illam eſſe JCtorum opinionem quod regula-

gulariter ſine aliqua probatione vel præſumtione ad juramentum non ſit decurrendum: quod & repetit *p. IX. dec78. num. 1.* (citato Cothm. *vol. 2 reſp. 82.*) cum hoc grano ſalis, niſi aliter probatio haberi nequeat, maximè ubi pars v. g. heres nihil ſcit de negotio, alter vero ſcire rem poſſit. Fortè illud Practicorum pro clypeo erit Mevio: *Hæc eſt communis & vera opinio ſed altera communior eſt & verior.*

VARIATIO XVIII.

P.4.d.14. Opp. P.9.dec.2. SEquens variatio ex actis ad Facultatem noſtram delatis notata fuit à partium advocatis. De titulo Inſtitutionis in parentum teſtamento ita fatur Noſter *part. IV. deciſ. 14.* Parentum inter liberos teſtamenta ob pietatem jura ſingulari favore dignantur, ita ut ſine ſolennitate ex ſola illorum voluntate conſiſtant: hanc utcunque expreſſam apparere ſufficiat: attamen neceſſitas liberos inſtituendi ſeu legitimam iſtis titulo inſtitutionis relinquendi remiſſa non eſt: ideo per jus reliqua habetur: cui conſequens eſt, ut etiam inter liberos teſtamentum inſtitutionem non habens irritum ſit: Non ſufficit dotem filiabus reliquiſſe, quæ etſi alias legitimæ inſtar habeat, tamen in teſtamentis nullo jure hanc poteſtatem adepta eſt, ut teſtamentum in eo conſtituta non vitiet, niſi ſtatuto recepta ſit, ut communior opinio habet Hartm. Piſt. *p. 1. q. 1. num. 12.* Jam evolvatur *p. IX. dec. 2.* ubi ſuo ſe gladio jugulat Autor. Poſteaquam (*ait*) Parentibus ob naturalem erga liberos pietatem & ab his iis debitam reverentiam jure permiſſum eſt quomodocunque velint nullis adhibitis ſolennibus inter hos teſtari, etiam

iam hoc licere creditur, ut quando (fortè *quomodo*) velint liberos heredes faciant, aut quod, ut ſuis heredibus debetur, quale eſt legitima, relinquant, ut neceſſe non ſit hanc inſtitutionis titulo dare (*in Not.* Communius quidem JCti aliter ſentiunt, uti refert Hart. Piſtor. *p.1. qſt.1.n.12.* ubi plures allegat, ſed ex errore non ex ratione, cui convenientiùs ſine expreſſa inſtitutione valere ultimam teſtatoris patris voluntatē, tanquam teſtamentum, uti hoc confirmat ac ſequitur Cothm. *reſp.3. num.14. & ſeq. vol.1.*) Quod enim dé hoc obſervando aliis LL. conſtitutum *Nov.115.c.3.* cò tantum pertinet, quod unum vel alterum liberorum prætereundi facultas non ſit, ut & ad teſtamenta ſolennia, non ad parentum inter liberos &c. &c. Sanè poſteriores cogitationes ſunt, ex proverbio, meliores! quoad aliam enim aut conciliationem aut palliationem aqua nobis hæret. Deciſioni verò *2. non 14.* ſubſcribit Carpz. *p. 2. Conſt. 9. def. 9.*

VARIATIO XIX.

PEr juris communis rationem, ut dotes mulieribus ſalvæ ſint, non tantum ipſis anterius contra omnes mariti creditores, ut ut anteriorem ſpecialem hypothecam in bonis mariti habentes, jus eſt, ſed etiam facultas executiones & immiſſiones aliorum creditorum impediendi, donèc ipſis ſatisfactum vel patrimonium, quod penes maritum fuit, *p.4. d.59.* Opp. *p.5. d.183.*

C ſecu-

ſecurum eſt. Quo nomine alii cum agunt, intervenire & interventione ſua efficere ſolent, ut prius è mariti bonis ſeparetur, quantum ſecuritati illarum ſufficit, *Mev. p. 4. d. 59.* ubi addit, idem obtinere etſi creditores ex ſtatuto ſtatim & ſine ulla exceptione immitti jubeantur. *item.* non tam cito emiſſionem impetrare uxorem poſt creditorem immiſſum, quam immiſſionem impedire poſſe. conf. *p. 5. d. 89. p. 8. dec. 160.* Sibi obloquitur Idem. *p. 5. d. 183.* Rejecta (*dicit*) mulieris pro dote ſervanda interventione contra creditorem, cui res adjudicanda erat, petebatur reſtitutio in integrum, velut ob gravem læſionem: at nulla deprehendebatur dum ipſi ſatis proſpectum, quia actio hypothecaria, ſi qua fuit contra rem quàm creditor ex adjudicatione accipiebat integra erat, ipſique liberum quam primum vellet agere & rem ex potiore, ſi haberet, jure vindicare: at ut tam pro dote, quam ejus, ante immiſſum creditorem privilegio, interventione impediretur adjudicatio valde iniquum fuit, præſertim iſta nondum liquida &c. Sed benè ſeſe habet utraque deciſio: minima enim circumſtantia jus variat: & temperat ipſe Autor ſententiam, ac, quando interventio admittatur? & quando non? curatiùs deducit. *d. p. 4. d. 107. & 380. item. p. 6. d. 131.* ex quibus antinomiæ huic facilè ſatisfiet.

VARIATIO XX.

p. 4. d. 84. Opp. *p. 7. d. 124.*

QUatenus ſententia contra alium lata, contra tertium executioni mandari, aut immiſſio in rem ab ipſo poſſeſſam decerni poſ-

poſſit, non ſatis conſtat: vide Wiſſenb. *ad. ff. tit. de fidejuſſ. num. 21.* Scotan. in Exam. *p. 6. qſt. 344.* Nicolai. in Proceſſ. *p. 3. cap. 3. n. 2. 3.* & Mevius noſter variis locis in ſuis deciſionibus, quas omnes longo tramite adducere inutile foret. Illud ſolum notamus in *p. IV. d. 84.* ipſum ſtatuere, adverſus talem rei poſſeſſorem executivo proceſſui non eſſe locum, ſed *tantum* ordinariæ actioni, quam opinionem communem & in Tribunali obſervatatam *num. 2. in notis* dicit. At in *p. VII. d. 124.* inter plures innominatas limitationes, etiam hanc tradit, ſi hypotheca ſit conſtituta, eique ſimul pactum paratæ executionis adjectum. Et poſſet ergò, ſine cenſoria nota, abire hac vice Autor, ſi particulam *tantum in d. 84.* omiſiſſet, aut vocem *regulariter* addidiſſet: & niſi communiorem & veriorem judicaret ſententiam, adverſus tertium poſſeſſorem ſine novo proceſſu executionem non fieri, *in d. p. 4. d. 84. num. 2.* at in *d. p. 7. d. 124.* contrariam opinionem juri magis conſentaneam, ideo rectiorem & à pluribus approbatam pronunciaret: Quamvis fortè ultimum hoc, in ſpecie, de caſu hypothecæ conſtitutæ, ſit ſubaudiendum.

VARIATIO XXI.

CUm ideo appellabatur (commentante Mevio *p. IV. d. 106.*) quod ex bonis recens acquiſitis, mutato licet poſſeſſore, tamen priſtino more tributa exigerentur, poſthabita iſtius immunitate, quam ex equeſtri privilegio obtendebat, denegati ſunt proceſſus ob regulam circa tributa obſervandam, quod res tranſeunt cum ſuo onere, nec conditio novi poſſeſſoris aliquid mutare debet, ex tributorum pro rebus ſolvendorum conditione. Etſi itaque acquirens nobilis ſit, inde à tributis immunis tantũ ſervitiis equeſtribus obnoxius, tamen inde loca ſe-

p. 4. d. 106. Opp. *p. 8. d. 96.*

mel allibrata,non eximuntur ab onere, nec cum ſunt paganica ideo ſolum,quod dominum vel poſſeſſorem nobilem accipiunt, fiunt equeſtria.

Cum os humerosq; ſimilis caſus apud Eundem *p.VIII.d.96.* incideret mens ejus *hæc* erat. Eſt cataſtrationis ſeu deſcriptionis ædium in cataſtro effectus, quod obligat res deſcriptas ad onera publica rebus imponi ſolita. At ex eo minimè ſequitur indiſcriminatim omnes, qui talia cataſtrata bona poſſident, etiam inde promiſcuè oneribus obnoxios fieri. Poſſunt quippe illorum hæc eſſe jura atque beneficia ut immunitatem habeant,etſi talia poſſideant. Etſi enim cataſtratio ad onera obligat, tamen non tollit à lege conceſſam ab iis immunitatem. Poſſunt hæc duo conſiſtere, bona eſſe allibrata : & eos qui tenent gaudere immunitate. Eatenus quippe allibratio effectum habet quatenus legi ſeu generali ſeu ſpeciali convenit: *& paulo poſt*: Exemplum occurrit in Profeſſoribus Univerſitatis Literariæ, quos lex publica eximit & immunes reddidit ab onere hoſpitationis. Si autem contingat illos acquirere ædes in libro æſtimi ſeu cataſtri civitatis deſcriptas, inde oneribus realibus obnoxias,non eo minus iſta immunitate gaudent, ſed quia ipſi ſunt ab iſto onere immunes, ſui cauſa etiã ædes eximunt. Licet enim iſta hoſpitatio munus reale ſeu patrimoniale eſt, attamen non id-

co

eo minus immunitatē ſervant, qui ex lege publica habent, cum debita ædium juxta legem reip. & jura perſonarum ſint cenſenda. Perſonæ, quæ res accipit, conditio mutat conditionem rerum: Nec enim perſona rerum, ſed res perſonarum qualitatem & jura ſequuntur quoad futurum, non quoad præteritum, *ut ibi latius docetur.* Ego non niſi priſtinum illud judicis dubitantis adjicio N. L. Poſterior tamen deciſio melioribus fulctis nititur & priori dicas *Pergula pictorum veri nihil.* Conf. *p. VIII. dec. 460.* ubi, an ædes urbanæ Idictioni ſubjectæ, mutent eam, ſi Princeps emat: ibique *num. 2.* redire ad opinionem *dec. 106.* Autor videtur. In *p. VI. d. 128. num. 5.* hujus farinæ quæſtiones utpote acres & difficiles diligenti egere diſcuſſione ait. Diſtinctione ſe extricare vult *Guttirez*, quam rejicit Brunnem. *ad l. 3. C. de Epiſc. & Cler.*

VARIATIO XXII.

QUatenus advocati negligentiam aut culpam ipſa pars luere teneatur? & an ei detur reſtitutio in integrum? non usque adeò ſecum ſentire videtur Mevius: nam *p. III. dec. 29.* putat procuratoris quidem culpam, quippe qui domini loco eſt, principali ita nocere, ac ſi ipſe deliquiſſet, adeoque non dari reſtitutionem (quam tamen concedit Ipſe *p. 7. d. 286.*) in integrum (niſi procurator non ſit ſolvendo) ſed actione ordinaria pulſandum procuratorem: at in advocato ſecus eſſe, quod ille dominus litis non fiat, nec mandati actione, aut alia perinde teneretur ad refundendum ſuæ negligentiæ damna, utpote cui ea profutura ſit exceptio, quod officium non impertiatur niſi conſultus: indeque damnato futuralis difficilis. *Et paulopoſt.* Quo circa viſum eſt non ha-

p. 3. d. 29.
Opp.
p. 6. d. 209. & *p. 7. d. 286.*

ben-

bendam ideo appellationem deſertam,ſed audiendos appellantes,qui inculpabili ſuo errore, quia proceſſuum judicialium periti non erant, & fiducia erga advocatum , quem vigilaturum ſperabant,ſe lapſos ideo in integrum reſtitutione juvandos contendebant. Neſcias quid audias,cum in *p. VI. d.209.* diſſerit Idem : Quod ob delicta circa proceſſum ex neglectu ordinationis judiciariæ parti irrogatur,etſi ex advocati negligentia,aut improbo litem protrahendi propoſito proficiſcitur,luere pars ipſa tenetur, nec juvatur exceptione aut excuſatione ob culpam advocati. Pars enim ipſa obligata eſt judicio ad obſervantiam legum, nec magis liberatur à debito ob advocati negligentiam, atque alius, qui ex conſilio alterius fecit. Culpa quædam ejus etiam eſt, quod minus diligentem atque candidum advocatum elegerit. Eo minus autem admitti debuit quia retentione (ſalarii) vel actione *l.10. in fin.* C. *de Procurat.* ab illo recipere licet,quod ob ejus culpam ſe luiſſe obtendit : contra advocatum enim imperitè & negligenter conſulentem vel poſtulantem de damno ex L. Aquilia in factum actio eſt: Binsfeld in Tract. *de injur. & damn. dat. cap. 9. qſt. 12. concl. 2. & ſeq.* Inſtrumentum Pacis hîc eſſe non poſſum: meliorem tamen opinionem eligere non admodum eſt in difficili, ſi mores hodiernos reſpiciamus.

VARIAT.

VARIATIO XXIII.

AN & quatenus judex appellationis de alio puncto, quam ſuper quo appellatum, judicare poſſit, paucis Practicis nota, & per ſe intricata eſt quæſtio, ut non mirum ſit, ſi Autor ſibi adverſus aut potiùs, ob varietatem caſuum, diverſus fiat. *P. III. dec. 106. p. V. d. 141. p. VI. d. 290. p. VIII. d. 4.* Secernendi enim caſus (1.) ubi ſuper articulo incidente eſt pronunciatum & ſuperior judex in principali ſententiam fert: (2.) ubi uterque articulus & à quo appellatum & à quo non appellatum, ſunt principales (3.) ubi unus articulus in ſententia à qua appellatum deciſus eſt, & in rem judicatam abiit, ſuper alio vero appellatum, de quo caſu agit *d. dec. 106.* ut de primo *d. deciſ. 141. tota* (4.) ubi unus articulus eſt vel fuit in lite, alii vero articuli, utut ſimiles, non: vide *d. dec. 4. num. 4. 5. &c.* (5.) an eædem ſint partes appellantes, an alius v. g. interveniens accedat: quod fit in *d. dec. 290.* quæ & ſi qua gemina ſunt momenta, helice & cynoſura erunt in explicando Authore noſtro, & generalioribus ejus aſſertis in uno aut altero loco occurrentibus. *p. 3. d. 106. Opp. p. 5. d. 141. p. 8. d. 4.*

VARIATIO XXIV.

QUod dicitur, ſtatutum generale excludere appellationem, ad eam ſpeciem porrigi non debet, cum ſtatutum dicitur nullum, aut in obſervantiam non devenerit: Similiter ſi ex rationibus quibusdam iniquitatis arguitur, & non ſine cauſa legitima dubitatur, an juſtum & validum ſit, tunc non modo à ſententia ſuper tali ſtatuto lata, ſed etiam ab ipſo ſtatuto licita eſt appellatio: Autor *p. 4. d. 387.* At, licet appellans à ſententia, quæ uxorem ob debita prioris mariti omnibus bonis exuebat, ſeu illis, quicquid ex bonis iſtius exigebant poſtpoſuerat, præprimis ſtatutum communionem bonorum inter conjuges, & ex hac obligationem mutuam pro ære alieno inducens, accuſaret ut impium, divino & humano juri contrarium, ideo invalidum nec obſervandũ, tamen ex hoc capite proceſſus impetrare non potuit. *dec. 123. p. 3.* Sed hic non opus eſt Oedipo & vel Davus dubiũ *p. 3. d. 123. Opp. p. 4. d. 387.*

illud

illud enodare poteſt; quia *dec. 387.* loquitur de caſu, ubi ſtatuti iniquitas eſt dubia: at æquitas ſtatuti de communione bonor. conjugalium & inde fluentibus, eſt notoria; unde gravamen non fuit: *dec. 123.*

VARIATIO XXV.

p. 3. d. 166. Opp. *p. 4. d. 169.* EST inter JCtos perplexa quæſtio utrum, ſocii ex contractibus ſocialibus teneantur & conveniantur in ſolidum? an pro ſua parte? poſterius communi ſcholæ Juridicæ placito confirmatum docet Struv. *ex. XXII. th. 45.* Econtra prius viciſſe & in uſum forenſem veniſſe, ut æquius, juſtius, & commerciis utilius, ait Noſter *p. IV. d. 169. adde p. III. dec. 123. 124. 125. 138. num. 1.* Adi nunc *p. III. dec. 166.* ubi *Idem*, quoad conjuges ſocios diſtinguit, utrum alterutro defuncto, bona communia adhuc apud ſuperſtitem ſint, an jam cum heredibus defuncti diviſa. Quamdiu durat communio (ait) conjux ſuperſtes actione in ſolidum tenetur, liberum tamen illi eſt heredibus prædefuncti denunciare creditorum petitionem. Poſtquam autem vidua cum heredibus bona diviſit, aut dum circa diviſionem verſantur, ſupervenientes creditores illam in ſolidum amplius convenire iniquum foret: tantum illa tenetur pro parte quam in communione habuit (*in notis*) quia id quod ex ſocietate debetur æs alienum ex communi ſolvendum, non ex unius qui in communione fuit parte *l. omne 27. ff. pro ſocio*: cum ſocius ex ſocietate non teneatur ultra partem ſuam. *l. 73. §. 1. l. 81. d. t. l. 39. §. 3. ff. fam. herc.* Quid ergò dicendum? An dicemus ultimam *dec. 166.* in genere loquentem, de caſu ſubaudiendam, ubi uterque conjux eſt ſolvendo? An potiùs ſacros limites ponemus inter ſocios alios, & ſocios conjuges, aut marem cum fœmina obligatam, quo etiam inclinare videtur Sande *L. 3. tit. 9. def. 2.* dum putat ſi mulier & Titius ſocii ſint & in rem communem fidejuſſerint, mulierem teneri pro ſua parte tantum & non pro parte maſculi, quia pro parte maſculi videtur inter

ceſſiſſe-

ceſſiſſe dùm ſe obligavit in ſolidum *l. 17. in fin. ff. ad SCt. Vell.* &c. adde Struv. *ex. 21. th. V. & IX. ſub fin:* At ipſe Mevius *p. 2. d. 206.* & *p. 8. d. 453.* ex jure inter ſocios conſtituto, conjugem pro conjuge in ſolidum obligari v. g. in ſocitate mercatoria, docet. Quicquid ſit, quatenus hodiè in caſu ſocietatis bonorum, conjux pro conjuge, non ſolvendo exiſtente, teneatur, etiam in caſu ubi unusquisque ſe in ſolidum obligavit, nervoſiſſimè docetur in celebri illa diſputatione. A. 1669. Tubingæ ſub auſpiciis Lauterbachianis habita à Joh. Gothofr. Neuhauſer: *cap. 4. à §. XLIX.* usque ad §. *59.* ubi plenis ſpumat vindemia labris.

VARIATIO XXVI.

AN ob non ſervata ab uno, conventionis placita, alter contrahentium à contractu b. f. nominato recedere poſſit, obſtante *l. 14. C. de reſc. vend.* non ſatis liquet! Noſter *p. V. d. 20.* juxta *d. l. 14.* & *l. 8. C. de contrah. emt.* item ex natura contractuum nominatorum pænitentiam non admittentium, negat prorſus jus recedendi ab emtione, niſi id expreſſe vel tacitè conventum juxta *l. 6. C. de pact. inter emt. & vend.* quo tamen caſu quædam requiſita obſervanda annectit. Eadem eſt ipſius mens *p. VII. d. 115. num. 4. 5.* ubi diſputatur, an recedi poſſit à contractu emtionis, cum res evincitur? quod certò caſu affirmatur, quando ſcilicet venditor vel non vult vel non poteſt præſtare evictionem. Cum his non conſentire, ſed titubare videtur Autor dum *in p. 2. d. 34.* ſub rubro, *quando ex cauſa non obſervati contractus reſoluta habeatur locatio,* in nigro ſic ſcribit; quia contractus locationis conduct. eſt utrinque obligatorius aliquo contrahentium illum non obſervante nec alter ultra tenetur *l. 14. l. 41. C. de tranſact.* quomodo itaque hanc ob cauſam ab eo recedere poteſt conductor *l. 25. §. 2. ff. locat.* ita etiam locatori idem integrum eſt ſe ideò ob inobſer-

p. 5. d. 20. Opp. *p. 8. d. 173. num. 11. p. 2. d. 34.*

D van-

vantiam, ut loquimur, conductor præſtanda non præſtans, expelli debet *l.3. C. locat.* ubi Dd. *l.54. §.1. ff. eod.* In *p. VIII. d. 173. num. 11.* audaciùs pronunciat Autor: Ex. *d. l. 14. C. de reſc. vend.* male colligi neceſſario agendum eſſe ad pretium (ut Ipſe collegerat *d. d. 20. & 115.*) cum ibi ſolùm decidatur iſtud, quod poſſit venditor non quod debeat. Dicit, contractum non eſſe ideò, quod ab aliquo non ſervatur irritum: at ut non queat ob perfidiam emtoris venditor diſcedere non definit: alibi id deciſum eſt *in l. 6. C. de pact. inter. emt.* Deinde ſi vel illa quæſtio deciſa eſſet de poteſtate retrocedendi, tamen loqueretur tantum de ea ſpecie, ubi non circa emtionis circumſtantialia aliquid non ſervatur, quod emtionis eſt integrum manet, ſecus longè ubi circa hanc ejusque ſubſtantiam altera pars non obſervat quæ debet, ad quam referendus eſt textus *in d. l. 6.* Sed ex his ultimis verbis autoris variatio eſt declaranda: ut ut hanc ultimam *d. l. 6.* explicatioeem ſuſpectam dicat, & illam, quam Autor in *d. p. V. dec. 20.* habet præferat Brunneman *ad d. l. 6.*

VARIATIO XXVII.

p.5.d.346. QUando quis cautionis idoneæ, at non certæ, debitor eſt, non
Opp. modo ſi pignus offerat, ſed etiam, ſi poſſeſſiones ſecuritati aptas
p.6.d.57. habeat, ab alia cautione liber eſt. Secus ſe res habet, ubi ad certam ſpeciem obligatur. Tunc invito creditori alia quam conventa, obtrudi nequit. Si tamen qui fidejuſſoriam debet, difficulter præſtare queat, ideò pignoratitiam ſatis idoneam offerat, ita audiendus eſt ut tentetur omnibus modis quo creditor æquis rationibus

ad

ad recipiendam poſſibilem, non inutilem ſibi cautionem perſua-deatur & adhortatione judiciali incitetur. Quod ſi etiam ejus nihil interſit qualem cautionem accipiat, ſed mera malitia recuſantis deprehenditur, non peccabit judex, ſi & tandem quod alteri poſſibile, alteri non noxium eſt admittet, uti procedere viſum in cauſa Friderici Sittmans contra, Diederich Maſſoven die. 30. ſept. 1657. Mev. *p. 5. d. 346.* At cum anno 1658. *die. 5. febr.* eadem cauſa occurreret, juxta *p. 6. d. 57.* judicavit Autor, ita: Ex promiſſione hac tenetur promiſſor ad ſpeciem quam promiſit nec aliud pro alio invito obtrudi poteſt. Eſt ea ſtipulatio ſtricti juris, nec aliud in eam venit quam quod dictum. Nec difficultas aut impoſſibilitas præſtandi efficere poteſt, ut altera pars pignora accipiat. Etſi enim aliàs ob iſtam, quæ ex lege præſtanda eſt, judicis arbitrio ad pignoratitiam cautionem devenitur: ſecus tamen ſe res habet ubi ex conventione certa ſpecies debetur: quæ ſi præſtari non poteſt haud licet creditorem ad recipiendum aliam adigere, ſed ei integrum manet, quia ſibi debitum non præſtatur, à contractu recedere. Nec conſiderandum hic eſt, quod vel idem pignus præſtet, imo ſi vel meliorem ſecuritatem afferat: non enim licet alterius inviti conditionem, contra jus quæſitum reddere meliorem: tantum igitur pro debitore hoc remedium ſupereſt, ut rationibus æquis creditor ad recipiendum cautionem pignoratitiam perſuadeatur, quo fine commiſſariis de eo inter partes tracta-

re injunctum erat: ubi verò iſte ſemel ad alia permoveri non ſivit non cogitur.

Criſin meam ſi requiras B. L. dixerim, priorem deciſionem æquitati; poſteriorem juri ſtricto magis convenire. Et tralatitium eſt, ſæpe judicem partes ſuas interponere & partium rigorem perare.

VARIATIO XXVIII.

p.6.d.69. Opp. *p.6.d.29.* LEvior illa variatio eſt, quam ut notari mereatur, cum Noſter in *p.6.d.69.num.1.* in illa facti ſpecie, pro fundamento adducit ex ſacris Juris Romani, quod tutela pubertate finiatur: quem tamen articulum una cum lance & licio moribus Germanicis obſolevisse dixerat in eadem parte VI. *dec.29.* cum conſenſu decumanorum JCtorum, citante Struvio *ex.31.th.51.* Nam ex illa *th.51.* apparet, ut ut hodie ferè poſt pubertatem eædem perſonæ etiam manere ſoleant curatores: non tamen planè ſublatum eſſe diſcrimen tutelæ & curæ, ſed poſſe aliquando quem tutelam deponere, ac petere, ut minori curator detur: fatente Gailio & Richtero. Atque id ipſum etiam in aliis oris extra Germaniam v.g. in Gallia obtinere teſtis eſt locupletiſſimus Ant. Fab. *in C. lib.5.tit.29.def.2.* De Saxonia vero non convenit inter dictum Richterum *dec.13.* & Carpz. *p.2.C. XI.def.10.* Et eſt hîc, Hectori oppoſitus Achilles, ut ſcias non de ſtillicidio aut tribus capellis Martialis litigari: Quæ vero opinio ſit vera, quæ Cervotina (ſic falſa opinio apud JCtos vocatur à Cervoto Accurſii filio gloſſas legibus contrarias facere ſolito: Klock in ſuo Tr. de contrib. *cap.2.num.89.*) aliorum eſto judicium.

VARIATIO XXIX.

p.6.d.128. Opp. *p.7.d.344.* AN illis caſibus, quibus eccleſiaſticæ vel aliæ perſonæ privilegiati fori ad præſtationem onerum tenentur, à Judice ſeu magiſtratu ſeculari? an à ſuo proprio compelli debeant, moroſæ ſi ſint, diverſum judicat Autor. Nam *p.VI.dec.128. num.1,2.* ait, Etſi pro repara-

paratione fontium *& viarum* clericos & Profeſſores, collectam pro ædibus ſuis ſolvere non iniquum foret, injuſtum tamen viſum eſt, civitatem ejusque magiſtratum, ſub cujus Idictione non eſſent, captis pignoribus eos coercere & adigere per *c. 7. verſ. niſi epiſcopus X. de immun. Eccl. ubi canoniſt.* (niſi, *ut addit*, inveterata ſit conſuetudo.) Hoc ipſum tota *dec. 2. p. 8.* legione Doctorum & Legum defendit communitq; ubi, inter alia, ait, diverſiſſima eſſe ceſſationem imunitatis & Idictionis acquiſitionem. Immemor verò ſui in *p. VII. d. 344.* Onus (*inquit*) refectionis *viarum* iis incumbens per quorum prædia & agros iſtæ tendunt, non minus clericis quàm laicis incumbit, niſi ſpeciatim exceptionem docebunt: Idcirco etiam obnoxii ſunt iis exequendi modis quos uſus recepit. Siquidem monitos at negligentes pignoribus captis coerceri conſuetudo eſt, queis eade re Jurisdictio aut executio competit, non minus poſſeſſores clericos quam Laicos pignorare queunt. Nec enim privilegia clericorum ulterius ſe extendunt, quam in quibus ſunt privilegiati, nec gaudent in talibus quæ tanquam Laici ſuſtinent & poſſident fori beneficio. Potuiſſemus effugium pro quærenda concordia comminiſci, ſed haſtam cum ſpe abjecimus cum *in Notis n. 5.* ſequentia legeremus: Ad onera, quæ perſonis clericorum incumbunt pro rebus, velut ſi ipſis tributa & collectæ indicuntur, compellendi ſunt per Eccleſiaſticum & ordinarium Judicem nec Laicus ſe intromittere debet Auth. *Item nulla.* Auth. *Statuimus* C. *de SS. Eccleſ. c. non minus c. pervenit. ibi* Canon. *X. de immun. Eccleſ.* Ant. de Petro *in Tr. de Poteſt. Princ. cap. 4. tit. de*

 vali-

validitate ſtatuti. num. 34. Surd. *conſil.* 301. *num.* 35. niſi ubi eccleſiaſticus magiſtratus ceſſat nec ad juſta clericos vult adigere &c. At ubi res onera ſuſtinere debent, eaque merè realia ſunt, etſi ad clericos devenerint, tamen niſi ſpecialis talium exemtio ex privilegio vel conſuetudine reperitur, ſecularium eſt cognitio & executio Petra *d. c.* 4. *num.* 38. Steph. Aufr. *de Poteſt. ſecul. in Eccleſ. Reg. fall.* 17. Menoch. Scacc. Gail. citatis *ibi* locis. Eandem ad ſententiam jam inclinaverat Noſter *p. 6. dec. 260.* ubi de executione ad reparationem aggerum. Momenta ſi ponderaverit quis accuratiore trutina, Autores citatos ſi quis excuſſerit diligentius, rationes ſi quis conſideraverit meliùs, pronunciandum erit contra *dec. 344. & 260.* eæque in expenſas condemnandæ.

VARIATIO XXX.

p.6.d.383. SIc obſervare ſtylum Judicii Viſmarienſes ait Mevius *p. 6. dec. 383.*
Opp. quod ſecundæ dilationis redintegratio ſeu renovatio fiat, quan-
p.8.d.406. do impedimentum non permittit, illo durante probatione defungi; At nôn ex omni, ſed quod continuum eſt, nec tantum ſpatii reliquit ut examen teſtium perfici potuerit. *Deinde, ut ſit notorium, ubi eſt in ambiguo, tertia dilatione cum ſolennitate legali opus eſt.* Tandem ut petatur expreſsè allegata ejus cauſa, &c. Non ſemper obſervatus videtur ille ſtylus: nam *p.* VIII. *dec.* 406. cum ſub fine dilationis ſecundæ, procurator peteret prorogationem modici temporis, quod propediem à commiſſariis, examinis jam peracti rotulum exſpectaret, aut ſi illud impetrari non poſſet cum ſolennitate legali tertiam, viſum fuit ad hujus petitionem legitimam haud remittendum eſſe, ſed potius prorogatio-

gatio-

gationem ſecundæ indulgendam eſſe, ut ut pro iſta aliud impedimentum non allegaretur. Sed ex clauſula bonæ fidei ſubintelligendum in *d. dec. 406.* impedimentum fuiſſe notorium: aut ſaltem putandum, id quod in *dec. 383.* dicitur, limitari, ſi pars modici temporis prorogationem petat, quia ibi modicum quoque alterius eſt præjudicium & incommodum, ut eleganter demonſtrat Autor in *d. dec. 406. num. 4.*

VARIATIO XXXI.

SEquens contradictio clarior eſſe videtur quam ut diſſimulari poſſit. P. VI. *dec. 386.* ait Noſter: quod per Noviſſimam Imperii conſtitutionem Rec. Imp. *1654.* §. Anreichend. de uſuris conſtitutum eſt, in concurſu creditorum obſervamus: Quando autem Eccleſiis & piis locis relicta eſt circa uſuras integra petitio in dicta conſtitutione, in dubium venit, utrum omnes adjudicandæ ſint, an usque ad alterum tantum. Conſtitutioni convenit, in iis ſervari quod citra illam juris eſt: quod illa non immutare, nec tamen novum dare voluit. Ex illo adjudicationes fieri jubent, usque ad alterum tantum, ſicut & in Pomerania circa uſuras moribus inveteratis receptum, quocirca egredi non debet hęc condemnatio ſeu adjudicatio. Nec enim ab alterius tanti modo aut jure communi aut moribus loci reperitur recepta pia cauſa & eccleſia, quin potius iſtius rationes huic conveniunt: nec recedendum eſt à jure communi favore piæ cauſæ, niſi iſti jus dederit privilegium, quo non exiſtente, de eo ex communi jure & æquitate pronunciatur: quare non amplius illo adjudicatum fuit eccleſiis civitatis &c. Adjiciendum, quod illâ deciſione in No-

p. 6. d. 386
Opp.
p. 7. d. 136.

Notis *ſub num. 6.* dicit Autor : Non deſunt qui ita ſentiunt, conſtitutionē de altero tanto non pertinere ad cauſas & loca pia : at nullo juris textu nituntur, ſed ſibi tantum ſingularem æquitatē imaginantur, de qua tamen ſine lege ſtatuunt : cujus ipſis poteſtas non eſt data. Unde alii rectè ſcribunt id, quod qua pias cauſas alibi obſervatur, magis unius vel alterius loci obſervantia quam certo juris fundamento niti. Videatur jam *p. VII. dec. 136.* quæ ſic habet. De jure communi ab illa conſtitutione, quæ uſuras ultra alterum tantum non vult deberi, excipiuntur pia loca (quam exceptionem ut piam & æquam pluribus defendit Carpz. ℞. *49. L.* 4.) quæ exiſtimantur eodem jure meritò frui, quo civitates, quibus hoc indultum, ut uſuras integras, etſi alterum tantum exceſſerint, capiant. Alia ratione id adſtruunt alii, quod pia loca uſuras, non ut tales ſed ut intereſſe accipiunt, in quo alia quam in uſuris ſtatuitur ratio. Potiſſimum quod movet putavimus fore, quod uſuræ iſtæ ſuſtentationi piorum locorum dicatæ, ſunt veluti alimenta, ſine quibus ſubſiſtere nequeunt. Scripſeram hæc, cum, neſcio quis Cynthius, aurem velleret, num fortè ſaltem in uno vel altero articulo ratio concordiæ hoc modo iniri poſſit, ſi *dec. 386.* de caſu concurrentium creditorum: *dec. 136.* de caſu, ubi contra ſolum debitorem ageretur, ubi alterum tantum facilius admitti poſſet : Et primâ fronte putavi me *majus quid inveniſſe, quam* (ut Plauti proverbio utar *ex Aulul. A. 5.*) *quod*

pueri

pueri in ſaba. Sed in nihilum recidit divinum opus Alcimedontis
cum ex deciſione, quæ *dec. 136.* præcedit, appareat & *ibi* de caſu con-
curſus agi. Itaque ego quidem tranſeo ad

VARIATION. XXXII.

ET quia noſter in *p. 6. dec. 221.* docuit, in cauſis ſtudioſorum, etiam *p. 7. d. 56.*
criminalibus, admitti appellationem moribus noſtris & jure *Opp.*
communi, etiam ad Cameram Spirenſem, vellemus cum parciùs lo- *p. 6. d. 221.*
cutum in *p. VII. d. 56.* ubi nimis generaliter, omnes omninò appella-
tiones in ejusmodi cauſis, adductis variis rationibus, damnat. Sed *p. 7. d. 181.*
hoc leviuſculum eſt: cui geminum occurrit quod *in p. VII. dec. 181.* *Opp.*
generaliter aſſeratur, ceſſionarium teneri reſpondere ad ea quæ ex *p. 4. d. 140.*
perſona cedentis objiciuntur: cum tamen id limitetur, niſi ceſſio ex
cauſa oneroſa ſit facta, ſi credimus Eidem *p. IV. dec. 140.* addita *p. VIII.*
dec. 486. in quo tamen multos conſentientes non habet.

VARIATIO XXXIII.

POſt ſententiam regulariter judex jubere non poteſt, ut acta cir- *p. 7. d. 193.*
cumducantur id eſt deleantur. *l. 45. ff. de re judic.* ubi Gothofr. *Opp.*
Nicol. in Proceſſ. *p. 1. cap. 67. num. 28.* Gail. *1. Obſ. 134.* Sed quæri- *Ejusd. p. 7.*
tur? an id fieri poſſit, ſi utraque pars conſentiat v.g. ob atroces injuri- *d. 384.*
as utrinque effuſas? Cum talis caſus accideret apud Mev. *p. VII. dec.*
193. judex id negavit, id verò permiſit, ut occluderentur & ſigillis
munirentur, quo nemini inſpiciendi unquam copia fieret: quod ſi
partes acquieſcere nollent ad Sacram Majeſtatem Sueciæ remiſſio
decreta. At ejusd. *p. VII. dec. 384.* ait, partibus poſt finitam cauſam
acta non reddi, niſi re integra aut *utriusque partis conſenſu.* Sed id
quod in *dec. 384.* dicitur, ut & in *p. 5. dec. 216. num. 3.* fortè ex *dec. 193.*
quaſi aſperſo grano ſalis, temperandum, niſi aliæ circumſtantiæ pro-
hibeant, quò minus partibus conſentientibus mos geratur. *Tu ſi
quid novisti rectius iſtis: Candidùs imperti: ſi non, his utere mecum.*

E VARI-

VARIATIO XXXIV.

p.7 d.286. AN minor; præſertim in judicialibus, reſtituatur in integrũ ſi tu-
Opp. tor, cujus negligentia ſubeſt, ſit ſolvendo? quæri inter Doctores
p.8.d.80. ſolet. Cujus ſententiæ ſit Mevius, ne quidem Delio natatore adhibito invenies: nam *in p. VIII. dec. 80. num. 8.* in notis *ait*. Eſt quidem ei, contra, quem petitur in integrum reſtitutio, ex eo exceptio quod à tutore, qui actũ geſſit, ſervari poſſit indemnitas uti poſt *Abb. in cap.* cum veniſſent. de reſtit. in integ. & *Ruin conſ. 119. num. 18. & ſeq. lib. V.* Paul. Montan. in Tract. *de tutel. cap. 33.* (rectius. 32.) *reg. IX. num. 283. ſeq.* ubi communem hanc eſſ opinionem dicit. His bellum indicunt illa ipſa quæ leguntur *p. VII. deciſ. 286.* quæ ſic loquitur. " Quòd jure conſtitutum eſt, ut minori læſo ſit electio, utrum contra factum in integrum reſtitui velit, an verò contra tutorem, cujus negligentia in damnum incidit, experiri: hoc per multos in judicio limitatur, non aliter qua judicialia reſtitutionẽ in integr: indulgentes, quam ſi tutorum ſubſtantia ad reparationem non ſufficit. Inde dubitandi ratio exoriebatur, cum nomine minorum contra lapſum termini peremptorium, inde jam factam preçluſionem, reſtitutio rogabatur? Verum quicquid aliqui JCtorum ſentiunt, exiſtimatum eſt haud legibus illarum ſententiam aſtrui poſſe, aliud his convenire: non tantum nullibi reperitur judicialium à jure

quod

quod electionem tribuit exceptio, ſed expreſſis juris textibus in iisdem eadem licentia idemque jus ſtatuitur. Ex quibus communior reddita eſt illa ſententia, quod minores in judiciis reſtituuntur non attento regreſſu contra tutores & licet hi ſolvendo ſint. &c. Quantum ad noſtram criſin, in clientelam recipimus *dec. 286.* quam ſententiam etiam defendit Carpz. *2. C.* 11. *def. 34.* D. Tabor in Rel. Argent. *XLIII. num. 8.* ubi & obſtare viſam. *l.* 13. §. *ult. C. de Judiciis* explicat, quod & fit apud Mev. *d. d. 286. num. ult.* Denique non poſſumus non monere, Montanum, citato loco, non tam approbare Ruini ſententiam quam referre.

VARIATIO XXXV.

PRoduco inſtrumentum pro me, & ſimul proteſtationis hederâ ſuſpenſa declaro, me ſolum id in partibus proficuis adduxiſſe, an illa proteſtatio ſit relevans, ambigitur? Reſpondet Noſter *p. VII. dec. 346. num.* 1. 2. Cautos & prudentes advocatos hoc facere ſolere, ut, licet nihil adhuc clienti ſuo in inſtrumento adverſum ſciant vel metuant, tamen majoris cautelæ gratia non admittant id, niſi limitate & de eo proteſtentur: Ex hac enim proteſtatione (*addit*) ſeu ſpeciali mentionem ejus faciente, ſeu generali, obtinetur ut productio in contrariis nil noceat. Longe aliud cantat deciſio 112. *p. VIII.* Quicquid altera pars ad probationem pro ſe adducit, contra alterã partem facit, quatenus reprobari nequit; nõ pro altera vero parte ſemper facit: ideo quod teſtes

p. 7. d. 346.
Opp.
p. 8. d. 112.

dicunt, vel quod inſtrumento continetur pro adverſario militat, quatenus partes ejus juvare valet: Nec proteſtatio contraria, quæ addi ſolet efficit ut non proſit, quæ facto contraria eſt, imo & juri. Habes opiniones: Elige cui dicas tu mihi ſola places.

VARIATIO XXXVI.

p.8.d.215. Opp. *p.8.d.328.* MAndatū rogabat apud Mev.*p.VIII.dec.215.*conſors litis contra conſortes ſuos de continuanda & promovenda ſecum lite, & impetrabat facilè, quia apparebat intereſſe ſupplicantis ne ſe invito illorum aliqui litem deſererent, id quod conſortibus permittendum non eſt, quatenus id fit cum aliorum detrimento. Conſortes enim cauſæ ſunt velut ſocii: Gothofr. *ad rubr. C. de conſort. ejusd. lit.* ideo quà renunciationem ſemel cœptæ communis litis, quod eſt jus ſociorum, ſequimur, quibus non niſi re integra, & ut ſine aliquo incommodo ſociorum fieri poteſt renunciatio non vacat. Quam ſi aliter fecerunt, damnum illorum commune onerat: lucrum vero non capiunt, præterea ad intereſſe tenentur: uti exponitur *in l. actione 65. §. diximus 3. ff. pro ſocio.* Hæc in *d. dec. 215.* totidem verbis invenies. Verùm in Ejusd. *p.VIII. dec. 328.* Plurium (*ait*) cauſæ conſortum, aliquibus cum adverſario tranſigere aut liti renunciare non eſt prohibitum, ſed jure dominii quod in communibus ſinguli pro ſua parte habent, licitum *l. juris gentium 7. §. adeo. ff. de pact.* Berlich. *p. 1. dec. 132.* per tot. Poſtquam itaque ab iis tranſactum vel liti renunciatum fuit, non vacat illi, qui non tranſigit aut deſiſtit communem ampliùs cauſam agere, ſed tantum de ſuo jure & intereſſe experiri. Quocirca aliter petens audiendus non eſt. Docuerat id jam antè Autor *p. 7. dec. 352.* Quæritur quid dicendum pro reducenda concordia? Fortè diſtinguendum, ut de caſu litis conteſtatæ loquatur *dec. 215.* de nondum conteſtata *dec. 328. & 352.* ut latiùs id allegatus Berlichius demonſtrat: Vel diſcernendum, an alterius conſortis interſit, quo de caſu agit *dec. 215.* an nihil interſit, de quo

reli-

reliquæ: cujus differentiæ autoram nobis ſuppeditat Berl. *d. l. num. 7.*

VARIATIO XXXVII.

PAter protutor teſtamento caverat, ut liberi ante omnia æs alienum ſolverent &, quod ſupereſſet, dividerent. Poſt obitum itaque patris iſti de implenda iſta voluntate ſolliciti, quædam ex bonis hereditariis ſeparant, aliqua etiam ex acceptis conferunt ut creditori, olim patris pupillo, de reſiduis ex pro tutela ſatisfieret. Illa cum unus illorum accepiſſet, & cùm ſolutionem creditori, tum liberationem coheredibus promiſiſſet, ſolutione vero per illũ non facta, creditor experiretur hypothecaria actione: &c. viſum fuit, poſtquam creditor ſemel contentus fuit uno hæredum, atque ab iſto creditum petere & accipere elegit, ipſi non ſupereſſe amplius contra cæteros actionem, ideò nec nexum pignoris in bonis hereditariis: cum is actus nihil aliud ſit, quam delegatio, quæ debitum finivit & heredes liberavit, creditori ſatisfecit: dum unius illorum bonum nomen recipiendo fecit & approbavit, nihil ſibi reſervans aut contra perſonas cohæredum aut contra bona hereditaria. Hæc Mevius *p. VIII. dec. 392.* An hæc amicè conſpirent, quæ inveniuntur *p. II. dec. 338.* æquus rerum arbiter judicet. In ea (*inquit*) quæ occurrebat ſpecie, filius defuncti debitoris, creditum iſtius in ſe receperat, ſe debitorem conſtituerat & pignus ſpeciale in prædio à defuncto ad ſe devoluto conſtituerat. Pro novatione verò haberi id non potuit, cum de animo novandi nihil dictum fuerit, etſi *alia perſona* debitoris facta, alius etiam *contractus*

p. 8. d. 392.
Opp.
p. 2. dec. 338.

bus conſequens fuit, creditorem, qui à ſucceſſore novum chirographum, tanquam à ſuo debitore receperat, jus ſeparationis non amittere ſed perinde pro creditore paterno adhuc habendum eſſe. Additur *in Notis ſub num. 9.* Quando ex eo quod fidem heredis quis ſequitur ſeparationis beneficium pereat, diſtinctione utrum novandi animo id fiat, nec ne; exponit JCtus in *l. 1. §. 10. ff. de ſeparat.* quando autem hodie voluntate eaque expreſſa ſaltem novatur, juxta *l. fin. C. de novat* utique nec ſine ea (Jure codicis) perit ſeparatio. Fons hujus diſcordiæ, ſi aperiendus ſit, maximam partem ex illo diverſitas deciſionum fluit, quod in celebri illa controverſia, *an ad omnem novationem, etiam delegationem, requiratur animus novandi verbis expreſſus? an & urgentes præſumtiones ſufficiant?* non firmum poſuiſſe fundamentum Mevius (quod pace tanti Viri dixerimus) videatur: aliter enim ac *in d. dec. 338.* explicat in *p. V. dec. 404. num. 3.* & *dec. 56. in fin.* & alibi. jam citatam *l. fin. C. de novat.* Confer Arumæum *lib. 2. dec. 3.* Tabor. Relat. Arg. LXVI. Hahn. ad Weſ. tit. *de novat. & deleg. num. 8.* ad verba. *Etiam jure ut putatur.* Carpz. *2. Conſt. 19. def. 16.* Brunnem. *ad d. l. fin.*

VARIATIO XXXVIII.

p. 9. d. 36. Opp. *dec. 82.* IMmiſſus in bona creditoris debitor (voluit Mevius dicere *debitoris creditor*) ut ex fructibus ſortem & uſuras reciperet, eorum poſſeſſionem exciderat, inde à debitore ad quem res vacua reverſa erat, una cum re fructus perceptos atque percipiendos repetebat: is exceptionem liberationis ex perceptis ab ipſo per longum tempus fructibus oppone-

nebat; replicabat creditor, ſe ſuper exceptione reſpondere non teneri, antequam fieret reſtitutio, atque pro ſe jam ſententiam obtinuerat. Ille verò appellatione interpoſita argumenta liberationis plura adducebat, rationes à creditore & ſuper iis inſtrumenta exigebat edi. Hic (quia proceſſus ſpolii locum non habebat) etiamſi conſuetudine vel ſtatuto Judex juberetur creditorem ob creditum liquidum immittere & exceptiones altioris indaginis ad judicium aliud rejicere, tamen cum debitor veroſimilem feciſſet & præſumtionibus muniviſſet exceptionem liberationis, creditum, referente Mevio *p. IX. dec. 36.* debitorem audiendum & prius rationes à creditore exigendas: unde & proceſſus appellatorii decreti Ottoni **Cluvern** contra Benedict. **Bremer**. At cum in eadem cauſa eſſet pronunciandum, in dicta *p. 9. dec. 82.* ad ſaniorem & aliam mentem rediit Noſter, & tum ſecundum jus commune, tum conſtitutionem Bremenſem executivam, hac rerum facie demum poſt rei reſtitutionem exceptionem liberationis examinandam cenſuit. Unde pronum eſt colligere caſum melius conſideratum cum de ſententia, quam cum de decernendis ſolùm proceſſibus ageretur.

VARIATIO XXXIX.

MAjora JCtorum vota concluſere, quod in remedio *l. fin. C. de edict. Divi Hadri. toll.* regulariter non ſit locus appellationi prout & hanc regulam & notabiles aliquot exceptiones affert No- *p. 9. d. 134. Opp. dec. 166.*

rum ſententia concluſit, cum heres remedio poſſeſſorio expertus immiſſionem in bona defuncti juxta *l. fin.* C. *de edict. Div. Hadr. toll.* obtinuit, condemnationem in fructus fieri non poſſe, ſed eam pertinere ad aliud, nempe petitionis hereditatis, judicium. Veruntamen illam, ut ſubtilem magis quàm utilem, non ſequi placuit, ſed petita & decernenda immiſſione, ſtatim etiam de fructibus pronunciare. Quam ipſam ſententiam, in ſequentibus, rationibus decidendi munit, contrariis profligatis, tandemque juxta eam pronunciatum refert.

VARIATIO XL.

Opp. p. 6. d. 216. p. 4. dec. 92. p. 6. d. 59.

SI quis eſt, qui Celeberrimi Mevii noſtri deciſiones magni facit, certè nobiſſimus eſt *Brunnemannus*, prout luce clariùs meridiana id apparet ex, Herculeo labore congeſtis ære perennioribus, regalique pyramidum ſitu altioribus monumentis *ad ff. & C.* quæ *dum Capitolium ſcandet cum tacita Virgine Pontifex & dum violens obſtrepit Viadri flumen*, laude creſcent. Inter alias ergò, quas compilare noluimus, & hanc Noſtri variationem adducit ad *l. fin. C. de jure delib. num. 45. &c.* Ubi (ait) inventarium eſt ſolenne, non exigi juramentum ſed tantum in ſubſidium, vult Carpz-*p. 3. C. 33. def. 8. 9.* Sed ea ſententia procul dubio huic §. *10. d. l. fin.* non convenit: & poteſt quis bona hereditaria ſupprimere, licet omnes ſolennitates obſervaverit, ideoque Dn. Mevius *p. 6. dec. 216.* videtur diſtinguere, inter juramentum, quod in defectum inventarii, in ſpecificatione bonorum præſtandum: & quod defertur heredi, qui inventarium fecit, ſed ſuper requiſitis inventarii lis eſt: ut illo caſu non, ſed hoc caſu juram. calumniæ locum habeant, ſi rectè ejus mentem aſſecutus ſum. Sed in *p. 4. dec. 92.* videtur communem ſententiam probari vel verò

ro ſimiliter demonſtrari poteſt, juramentum deferri non poſſit: Idem probat communem ſententiam *p. 6. dec. 59. Hæc Brunnemannus*; Nos verò Palæmonis vices inter tantos Jurisprudentiæ noſtræ Promos condos hac in re non ſuſcipiemus, id ſolùm diſſimulare non poſſumus, mentem Mevii in *d. dec. 216.* vix ac ne vix quidem rectè aſſecutum Dn. Brunnem. non enim ibi agitur de juramento quod *edens* inventarium præſtat, ſed de juramento calumniæ, an *exigens* juramentum ſuper inventario, id præſtare teneatur, ubi Dn. Mevius diſtinguit, *an* inventarium ſit non ſolenne, & tunc putat quod edens tale, jure ita diſponente juret, indeque exigens de calumnia non juret: *an* ſit inventarium ſolenne, exigens verò defectus velit probare, & in eo juramentum edenti deferre poſſe, tunc tamen (quia juramentum non-legale defertur) exigentem jurare de calumnia debere aſſerit. Hac ergò in cauſa fortè Noſter erit *abſolvendus, compenſatis* tamen *expenſis*, cum interdum deciſiones Mevianæ ita ſint obſcuræ, ut ſine Oedipo ſenſus in apricum deduci nequeat, & *qui optimè conjecerit*, ex antiquo proverbio *Vates ſit* ac Jurisconſultus. Sanè benignior eſt Brunnemannus, Raph. Fulgoſio, qui JCtos obſcurè loquentes per capillos interrogare optabat.

VARIATIO XLI.

NOtiſſima unicuique eſt regula Juris Civilis, *quod alteri per alte-* *P.2. dec. 94.*
rum non acquiratur actio, ſeu, *quod nemo alteri ſtipulari poſſit*; *95 p.6. dec.*
ſed ut in multis, à Juris ejus placitis praxis fori & mores receſsére, ſic *319 &c.*
& quæritur, an idem de illa regula ſit dicendum? Contrarium place- Opp.
re Mevio *ex. p. 2. dec. 94. & 95. p. 6. dec. 319. num. fin. p. 7. dec. 236.* im- *P.4. dec. 112.*
primis *p. 8. dec. 220. & 439.* videtur clariſſimum: At in *p. 4. deciſ. 112.*
cum Cothmanno putat, regulam illam per conſuetudinem

no odioſæ fuerunt, unà cum lance & licio évanuerint apud Chriſtianos, *ita, ita*; & *non non*, unicè dicere juſſos.

VARIATIO XLII.

P. 9. dec. 143. Opp. *dec. 193.* Tandem reſpicimus ex alto mari amicam tellurem; modò unum adhuc ſcopulum præternavigaverimus. Cum concurſus bonorum defuncti excitatus eſſet, quædam mulier publicè proteſtata fuerat, ſi quid diſcuſſis bonis poſt exſolutum æs alienum ſuper erit, ſe in eo cum aliis coheredibus ſuccedere velle: dubitatum inde utrum talis declaratio mentis pro aditione eſſet habenda, ita ut vi ejus, mulieris heredes poſtea admittendi fuerint. Mevius *p. IX. dec. 143.* Etſi (*ait*) declaratio qualis qualis heredem facit, dummodo animus adeundi elucet, tamen creditum non ſufficere ejusmodi animi expoſitionem, quæ non ſtatim & purè heredem facit, ſed aditionem differt & ſuſpendit: qualis eſt quæ fit ſub ea conditione, ſi quid in bonis ſupererit, *expreſs. text. in l. 51. §. ult. ff. de acq. her.* Hereditas adeunda eſt, uti eſt, nempe velut ſucceſſio in univerſum jus defuncti tam activè quam paſſivè. Non eſt hereditas ſine onere quod ab illa divelli ſeu ſeparari nequit. Præterea non eſt aditio quæ ſub conditione fit, quandoquidem inter actus legitimos eſt, qui conditionem non recipiunt. Accedebat æquitas, ut, cum alii hereditatem adiiſſent & multis ſumtibus, ſtudiis, & moleſtiis curaſſent, quo bona diſcuterentur, atque creditoribus ſatisfieret, interim cæteri, (*mulieris agnati*) ut otioſi ſpectatores ea frui ſiviſſent,

viſſent, hi non eodem fructu potirentur: Sed ut, quæ hereditatis diſcuſſio & concurſus habebat incommoda ſuſtinere noluiſſent, ita & fructu deinde carerent: juxta quæ tandem judicatum eſt in cauſa fratrum & agnatorum der Düringe contra Eliſabeth Glüvers. Percipe jam in hac lite cataſtrophen fabulæ! ex Ejusd. *p. IX. dec. 193.* ubi primo accuratiùs facti ſpeciem ac in *deciſ. 143.* narrat Noſter; & tandem addit, reſtitutione contra priorem ſententiam jam dictam impetrata, toto cœlo à priore diverſum judicatum. Sed id ideo, quia deinde aliter cauſæ ſtatus poſitus, atque doctum fuit, hîc non de hereditate, ſed de portione ſtatutaria ſeu legitima, quæ ſimpliciter agnoſci non poſſet, actum, ad quam adeoque reſervatio eventualis ſuffecit, latiùs id aut demonſtrante aut tamen, pro priori judicato excuſando demonſtrare ſatagente Mevio, ex cujus fonte diverſitatis pondera meliùs hauries.

VARIATIO XLIII.

PEnnam & animum aliud quid nunc addendi abjeceramus, cū incideremus *in p. 6. dec. 222. n. 5.* ubi de pœnis Academicis ita diſſerit Noſter. *p. 6. d. 222.* Opp. *p. 6. dec. 275.* Diſciplina aliquanto rigidiore eget ſcholaſtica Reſp. ideo & per pænas, queis juventus coërcetur veluti mulctam, arreſtum carcerem relegationem exeritur. At quia potior ejus finis eſt emendatio vitæ morumque, ubi hæc accedit poſtea ſuſtinuiſſe non eſt præjudicio. Quot Viri magni Eccleſiæ & Reip. cum dignitate & utilitate præfuerunt,

ad honores & promotionem obſtare debet. Hæſi fateor, nonnihil cum eâdem *p. 6. dec. 275.* ſequentia legerem, *num. 5. in textu.* Regeretur forte (*neminem hîc nominat Mevius, ſed puto eum reſpicere* ad Cothm. *reſp. Acad. 50. num. 8. & 9.*) ſtudioſorum carcerem & relegationes non tanti effectûs præjudicii & contumeliæ eſſe atque aliis irrogari ſolitas. Sed valdè ineptè, non pro authoritate Academica, quæ cladem non exilem paſſa eſt, ex quo permiſſum eſt, eas pœnas parvi cenſeri, unde cœperunt flocci pendi: Quibus id tribuendum erat, ut delinquentes horrerent. Eſt etiam in iis ſpectandum, non tam quid vulgo reputetur, quã quod à ſapientibus æſtimatur, apud quos famam juvenum ſugillant nec parum exiſtimationi nocent. *Obſecro dic aliquem dic Quintiliane colorem!* Fortè hæc, quæ dicit Autor *d. deciſ. 275.* vera ſunt, quousque non egerit pœnitentiam ſtudioſus, & ſatisfecerit Judici punienti: quod tamen in aliis delinquentibus ſecus eſt.

Sed jam navim ſubducimus!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE